

C ⁂ V ⁂ D

A ⁂ I ⁂ G ⁂ G

1 6 0 0

8
201



P. f. 87

Diese Art.

oo

R

Theol. F. VI. 501.

ENARRATIO

4

PIA ET UTILIS
SYMBOLI APO-
STOLICI, PROPOSITA
SCHOLASTICIS IN COLLE-

GIO THEOLOGICO

Brandeburgensi,

à

IOHANNE GARCAEO

IUNIORE.



VVITEBERGAE

1566.

PRVDENTIA,
ERVDITIONE AC SIN-
GVLARI PIETATE ET HVMA-
nitate ornatissimis uiris, Domino MAT-
THAEO VVIRTHEIMIO & GE-
ORGIO HENTZKEN, Consulibus
PRIMISLAVIANAE & PERLE-
BERGENSIS Reipublicae, amicis & fau-
toribus suis reuerenter colendis S. D.
IOHANNES GARCAE,
VS IVNIOR.



Grauisimum est dictū
Esaie cap. 42. Arun-
dinem contusam non
confringet, & linum
fumigans non extinguet. Hac enim
Euangelica aurea sententia pingi-
tur nobis bonitas & misericordia
DEI, in primis Christi Mediatoris
mansuetudo et humanitas, quod
verè sit talis, sicut de se ipso testi-
monium dicit: Venit Filius homi-
nis

PRAEFATIO.

nis quærere, & saluum facere quòd perierat. Item: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, ego reficiam vos.

Hoc Christi Emmanuelis nostri vnici officium, elegantissimè duplici figura hìc exprimit Spiritus sanctus, arundine scilicet contusa, & funiculo lucernario, in quò iam flammula exolescente & caligante lumen extinguitur. Nota est natura arundinis siue cannarum, quæ adeò sunt fragiles & imbecilles, vt impetum ventorum ferre nequeant, sed quolibet leui aura aspirante cedere atq; sese reflectere coguntur. Hinc vbi contunduntur, consolidari nunquam possunt, atq; in integrum denuò non coalescunt: imò nihil amplius profunt, nisi

PRAEFATIO.

nisi vt vel pecori substernantur,
aut in sterquilinum abijciantur.

Funiculus lucernarius ad hoc
comparatus est, vt luceat & veri-
tati seruiat, & res ipsas monstret
vt sunt, cuius flammula cum inter-
moritur, non modò non amplius
lucet, sed fumum etiam atq; vapo-
rem edit, odorem virulentum eua-
porat, qui offendit nares, nec si-
ne molestia ferri potest, adeò qui-
dem noxium & virulentum, vt in
gravidis foetum ipsum iugulet.

Hac similitudine admoniti,
in crebra & assidua recitatione
Decalogi & Symboli Apostolici,
cogitemus quales simus, et hac ima-
gine conuicti, fateamur ingenuè,
quòd verè arundini contusa similes

A 3 prore

PRÆFATIO.

prorsus simus, linoq; vix tenui
flammula tantum fumiganti. Quis
non videt sanæ mentis, hanc homi-
nis naturam, miserandum in mo-
dum contusam & sauciatam, de
quibus tristissimis vulneribus spe-
culum in Lege diuina nobis propo-
nitur, & inculcatur illud quidem,
amissa integritate nostra & iusti-
cia originali, ad quam fuit condi-
ta, nunc destructa per lapsum, ni-
hil sani circumferre in mente, vo-
luntate, corde omnibusq; viribus?
Annón in homine condito ad ima-
ginem DEI, vt in eo luceret ag-
nitio DEI, iusticia ac congru-
entia cum voluntate DEI, flamma
illa Diuinitatis, & lux pul-
cherrima non modò obscurata, sed
propemodum extincta est: vt in
hac

PRAEFATIO.

*hac depravatione naturæ, tetra im-
mundicies & spurcicies affectuum
& cupiditatum teterrimarum hæ-
reat?*

*Hanc tristissimam deprava-
tionem & confusionem in hac na-
tura puluerulenta & semimortua,
nullæ Creaturæ sanare, nulli Me-
dici curare, nec fauillam exolescen-
tem sufflare & ignem rursum acc-
cendere potuerunt, nisi Filius Dei
Samaritanus noster vnicus, sanc-
tissimus & fidelissimus Raphaël
sive Medicus DEI, qui ad hoc
præordinatus ab omni æternitate,
sicut in secunda parte Symboli de
redemptione profitemur, iuxta de-
cretum in Euangelio reuelatum, cui-
us summa in Symbolo compræhen-
sa est, vt sit Redemptor generis hu-
mani,*

A 4 mani,

P R A E F A T I O .

mani, obliget & curet nostra vulnera, contusam arundinem restituat, foueat & seruet salutari ac efficaci medicamento, ac per Verbum prolatum è sinu æterni Patris, dato Spiritu sancto sanctificatore, de nouò accendat lucem extinctam, renouet & instauret imaginem conspurcatam à Diabolo, & excitet rursum agnitionem D E I, veram & salutiferam in mentibus hominum, iuxta Legem & Euangelium, nec non affectus congruentes cum voluntate D E I.

Hæc instauratio, quæ fit in vera vnica Ecclesia, per ministerium Euangelij: vt Symbolum docet, in quo & non aliter λόγος æterni Patris efficax est dato Spiritu sancto,
tana

PRAEFATIO.

tantum in hac vita inchoatur & incrementa sumit, in vita aeterna perfectissima erit, ubi caelestis Academiae ciues, in Christo consummati, erimus sine fractura, & perpetua luce donati, non sicut linum ardens, sed sicut stellae firmamenti fulgebimus.

Hæc flamma veræ agnitionis DEI, viam nobis monstrans aeternæ salutis, nobis etiam illuxit in hac extrema mundi senectâ, & ex fauillis Idolatricis retracti sumus ad regnum IESU CHRISTI, cuius præcipua nota est professio Apostolica articulorum Fidei, qui ab hac ipsa nomen Symboli acceperunt. Quare singuli nostro loco celebremus DEI bonitatem & misericordiam, quòd per Filium aeter-

A 5 num

PRAEFATIO.

num Ecclesiae suae caput, arundine-
tum sibi inter nos colligere cepit,
repurgatis fontibus Israël, & exci-
tato magno incendio in tota Euro-
pa, praecipuis Germaniae partibus
fundamenta lucis fidei orthodoxae
innotescere voluit. Ac cum doctri-
na Catechismi illustranda sit & in-
stillanda teneris mentibus, ut ad o-
mnem posteritatem propagetur sa-
na analogia fidei Christianae, ac
monendi sint adolescentes, ut assi-
duè repetant Symbolum Apostoli-
cum, in auditorio nostro proposui
scholasticis breuem enarrationem
omnium Articulorū, quam ad Ve-
stram Prudentiam mittimus, ut sit
coniunctionis & consensus nostri
in hac confessione verum testimo-
nium. Et cum sciam V. P. singu-
lari

PRAEFATIO.

lari beneuolentia, me & totam nostram familiam complecti, reuerenter et amanter oro, vt tenuem hanc significationem gratæ mentis, boni consulatis. Postremò sicut Apostoli exclamant, Domine adauge nobis fidem: Ita veris gemitibus oro Filium DEI, vt opem ferat imbecillitati nostræ, seruet nos in vnitæ fidei, hanc in nobis augeat & confirmet, vt ad extremum vsque vitæ halitum velut fortes in statione milites in hac professione perseueremus: Oro etiam Emmanuelem nostrum, vt in hac periculosa & calamitosa mundi senectæ clementer arundinetum Ecclesiæ suæ seruet, vt crescat & augeatur, ac lucernarium ipsius Catechismi, vt perpetuò inter nos luceat & veritatem

PRAEFATIO.

tatem monstret, AMEN. Bene
& feliciter valete in CHRISTO.
Ex noua arce Brennonis, ipso die
Gregorij Magni Pontifi-
cis, Anno Messiae
1566.



DE

DE SYMBO- LO APOSTO- LICO.

Quid est Symbolum Aposto-
licum?

Symbolum dicitur & collatio & iudicium.
Collatio uerò appellantur articuli fidei,
quod ex collatione doctrinæ Apostolicæ sint
compositi atque conscripti, ut sint Regula &
Methodus fidei prædicatæ ab Apostolis, & re-
ceptæ à Catholica siue uniuersali Ecclesia. Ius-
diciū uocantur hi duodecim articuli, quòd per
illam notam seu iudicium ueri Christiani à falsis
dignoscantur.

Vnde uox sumpta est:

A militari more, *σὺμβολον* enim proprie
significat signum, quo milites inter se agnos-
cuntur et ab hostibus discernuntur, Germanicè
Ein Kennzeichen oder Losung.
Sic cum Diabolus perpetuum bellum gerat ad-
uersus Ecclesiam Gene. 3 nos accepta hac tes-
sara militari in baptismo, quæ est incorrupta
HOX

ENARRATIO SYM

uox Euangelij, professione Symboli, ab omnibus sectis & Ethnicis seiuncti agnoscimur.

Cur dicitur Apostolicum?

Quia uel ab Apostolis conscriptum est, & quasi per manus traditum Ecclesiae, sicut uetustas credidit, uel quia Apostolica doctrina uelut firmissimo fundamento nititur.

Est ne hoc Symbolum scriptum in sacris literis?

Etsi ad uerbum nullibi exprimat in libris noui Testamenti, nec Lucas in Actis aut quisquam Apostolorum in suis Epistolis eius mentionem faciat: tamen communi Patrum sententia 12. Apostoli eius architecti & autores perhibentur ac totam hanc summam fidei, comprehensam mira concinnitate ad singula capita doctrinae Apostolicae totiusque scripturae testimonia congruere, est manifestum. Primitiuae Ecclesiae Doctores expressè affirmant, se ex traditione maiorum accepisse, Symbolum ab Apostolis esse factum. Sic enim Ruphinus Aquileiensis, cui in opere Cypriani Symboli expositio tribuitur, inquit: Tradunt maiores nostri, quod post ascensionem Domini cum per aduentum sancti Spiritus super singulos quosque Apostolos

BOLI APOSTOLICI.

stolos igneae linguae sedisset, ut loquelis diuersis uarijsq; loquerentur, per quod eis nulla gens extera, nullae linguae barbarae inaccessae uiderentur. Et in uia praecipuum eis a Domino datum, ob praedicandum uerbum Dei ad singulas quasq; proficisci nationes. Discessuri itaq; ad inuicem normam praedicationis in commune constituunt, ne forte alias ab alio abducti, diuersum aliquid his, qui ad fidem Christi mutabantur, exponerent. Omnes ergo in uno positi & Spiritu sancto repleti, breue istud futurae sibi ut diximus praedicationis iudicium conferendo in unum quod sentiebat unusquisq; componunt. Atq; hanc credentibus dandam esse Regulam statuunt. Vide similem locum Hieronymi in Exempla ad Pammachiũ aduersus errores Iohannis Hierosolymitani. In sermone 38. de Ieiunijs & 40. haec uerba apud Ambrosium extant: Ista autem clavis, inquit, quam fidem dicimus uideamus quemadmodum constet, quemadmodum solida sit arbitror illam 12. artificum operatione conflata. Duodecim enim Apostolorum Symboli fides sancta concepta est, qui uelut periti artifices in unum conuenientes, clauem suo consilio conflauerunt. Clauem enim quandam ipsum Symbolum dixerim. Augustinus quoq; in libro ad Catechumenos

ENARRATIO SYM²

nos de Symbolo ait: Ista uerba quae audistis per diuinas scripturas sparsa sunt, sed inde collecta & ad unum redacta, ne tardorum hominum memoria laboraret, ut omnis homo possit dicere, & possit tenere quod credit. Et in lib: 3. ad eosdem inquit: Sacramentum Symboli quod accepistis, memoriaeque mandatum, pro uestra salute retinetis. Noueritis hoc esse fidei Catholicae fundamentum, super quod aedificium surrexit Ecclesiae, constructum manibus Prophetarum & Apostolorum. Sic & Irenaeus Symbolum appellat traditionem Apostolicam. Et Marcellus Episcopus apud Epiphanium recitans Symboli uerba: Se a maioribus hanc fidem ex diuinis scripturis accepisse affirmat.

Quis est finis huius Symboli?

Hi articuli constituti sunt. I. propter doctrinam, ut doctores semper eandem doceant, & certam formam sanorum uerborum seruent, & normam iudicij uelut analogiam fidei teneant, unde hi articuli Regulae fidei dicti sunt. Deinde ut seruiant auditoribus in discendo & iudicando, ne alienam doctrinam ab hoc fundamento dissentientem amplectantur, & uitare discant quicquid ab hoc Lidio lapide discrepat. Assidue autem recitari debent. I. Ut sit tibi loco
cons

BOLI APOSTOLICI.

confessionis, qua animo repetas & comprehendas summam salutis sine qua nemo potest saluari. II. Ut hinc sumas testimonium, te membrum esse ueræ Ecclesiæ, quod hoc sacramento accepto nomen Christo dederis, libro uitæ inscriptus sis, & ab omnibus hostibus huius Mesiæ dissentias, qui huic Tessaræ aduersantur. III. Ut hinc apprehendas consolationem etiam in ipsa morte, sensu iræ Dei & omnibus periculis spiritualibus & corporalibus. IIII. Ut simul cogitans de applicatione petas huius fidei confirmationem cum Apostolis: Domine adauge nobis fidem.

Quæ est Symboli Diuisio?

Tres sunt partes siue gradus qui numero trium personarum diuinitatis discernuntur. Prima pars est creationis de Deo patre. 2. Redemptionis de Deo filio Domino nostro Iesu Christo. 3. Sanctificationis de Deo spiritu Sancto. Huc refer regulam Augustini: Opera diuinitatis ad extra sunt indiuisa, id est, personæ simul sunt & simul agunt, sed ita ut seruetur cuiusq; personæ proprietas. Sic pater creat per filium qui est Verbum in quo lucet opus totius edificij. Et Spiritus sanctus immediatè fouet creaturas, & motum impertit.

B

Quis

ENARRATIO SYM:
QVIS EST PRIMVS
fidei Articulus?



CRedo in Deū patrem Omni-
potentem, Creatorem coeli &
terra. Quæ

BOLI APOSTOLICI.

Quæ est sententia huius Articuli?

Credo quòd Deus Pater cum Filio coæterno
& Spiritu sancto, ex nihilo cœlum & terram
condiderit, omnesq; creaturas Angelos & ho-
mines, ac perpetuo adsit suo operi, sustentet ac
gubernet hoc admirandum opificium propter
Ecclesiam, & me quoq; uere curet, exaudiat
& defendat.

Declara hanc partem Sym- boli?

I. Docet quòd in Diuinitate ratione essen-
tiæ unitas sit personarum, de qua Symbolum
Athanasij eandem confessionem repetit. Fides
Catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate,
& Trinitatem in unitate ueneremur, neque
confundentes personas, neq; substantias sepa-
rantes: Alia est enim persona Patris, alia Filij,
alia Spiritus sancti. Sed Patris, Filij & Spiri-
tus sancti una est Diuinitas, æqualis gloria, co-
æterna Maiestas.

II. Distinctionem Personarũ cõfitemur, quòd
hic unicus & uerus sit Pater, Filius & Spi-
ritus sanctus, sicut sese Diuinitas certo uerbo
& testimonijs patefecit.

B 2

III. Pri

ENARRATIO SYM

III. Primæ Personæ tribuimus hanc proprietatem ad intra & ad extra, quòd unius Diuinitatis sit uerus & æternus Deus Pater, omnipotens, creator cœli & terræ, qui sit fons & autor omnis boni, iustus & misericors, ex quo omnia bona inuocantes eum Spiritu & ueritate, impetremus.

Quæ sunt testimonia huius partis ?

Malachiæ 2: Nunquid non pater unus omnium nostrum ? Nunquid non Deus unus creauit nos ? 1. Corinth. 8. Unus est Deus pater ex quo omnia. Psalm. 33. Verbo DOMINI cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum.

Cur dicitur Deus pater ?

Duplici respectu. I. Ratione Filij, quia ab æterno sibi ὁμοῶς ἰον Filium imaginem suam, lumen de lumine genuit. Vnde scriptura Deum nominat Patrem Domini nostri IESU CHRISTI. Et Apostolus inquit: Hic est splendor gloriæ, & expressa imago substantiæ paternæ, ad quem dixit: Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Deinde dicitur DEVS Pater propter creationem.

BOLI APOSTOLICI.

tionem. Hominem enim ad imaginem suam creauit, uerè ostendens quomodo erga nos affectus sit, quis sit ipsius fauor, amor, cura & sollicitudo erga nos. Deinde est Pater gubernatione & conseruatione, ipse enim à quo sumus conditi, Pater, amat nos, curat res nostras, & sollicitudine sua patrem terrestrem longè uincit, Vnde Sapientiae 14. scriptum est: Omnia Pater tua prouidentia gubernas.

III. Adoptione est Pater, iuxta illud Ephe. 1. Adoptauit nos in filios in dilecto.

IIII. Donatione, Vnde à Iacobo capite 1. dicitur Pater luminum, id est, autor omnium bonarum rerum, ac quicquid habemus boni corporaliter & spiritualiter, illud totum ab hoc Patre proficiscitur. Huc refer illud Psalmi 103. Sicut pater miseretur filiorum suorum, ita Dominus miseretur timentium se. Item Esaie 49. Nunquid obliuisci potest mulier infantis sui &c. Cyprianus in Symboli expositione uocem Patris ita explicat: Pater, inquit, arcani & ineffabilis Sacramenti uocabulum est. Deum cum audis, substantiam intellige sine initio, sine fine, simplicem, sine ulla admixtione, inuisibilem, incorpoream, ineffabilem, inestimabilem,

ENARRATIO SYM²

lem, in quam nihil adiunctum, nihil creatum sit sine autore. Est enim ille qui autor est omnium. Patrem cum audis, Filium intellige, & Patrem cui Filius imago, substantiæ. Sicut enim nemo dicitur Dominus, nisi habeat uel possessionem, uel seruum cui dominetur. Et sicut nemo dicitur Magister nisi discipulum habeat, Ita & pater nullo pacto quis dici potest, nisi filium habens. Hoc ergo ipso nomine quo DEVS Pater appellatur, cum Patre pariter subsistere, etiam Filius demonstratur, quomodo sanè Deus Pater genuit Filium, noli discutias, nec te curiosius inseras in profundo huius arcani, ne fortè dum inaccessæ lucis fulgorem pertinacius perscrutaris, exiguum ipsum qui mortalibus diuino munere concessus est, perdas aspectu. Hæc ille.

Cur addit Symbolum omnipotentem?

Quia omnia potest, ubiq; adest, aaudit, iuuat et saluat, suaq; præsentia et potentia omnia implet in cælo & in terra, nec alligatus est ad causas secundas iuxta illud: Omnia quæcunq; uoluit, fecit, In ipso sumus, uiuimus & mouemur. Item, omnia portans uerbo potentie suæ. Huc refer omnia opera Dei ordinaria & extraordinaria.

Vnde

BOLI APOSTOLICI.

Vnde omnipotentia Dei colitur?

Ex operibus eius mirificis. Est enim creator cœli & terræ, hac creatione, quæ per *σωμνη δολιπ* omnes creaturas complectitur, declaravit Deus quomodo sit affectus erga hominem. Ut enim æterna suæ bonitatis in nos effunderet bona, omnipotentiam, sapientiam, iusticiam & paternitatem ostenderet, ex mera sua beneficentia palatium elegantissimum ex nihilo solo uerbo extruxit, & homini ad inhabitandum concessit, ac eandem fabricam per Spiritum sanctum æternum sustinet, fouet & conseruat, ne in nihilum redigatur. Et hæc est prouidentia & gubernatio diuina.

Quid hinc gratitudinis DEO debemus?

Hunc cultum exprimit uox credere, quæ ab unoquoque nostrum fidem requirit. Est autem Credere in Deum, non tantum noticia historię de essentia diuina & creatione, sed est simul certa fiducia, qua singuli statuunt, quod Deus uelit noster esse pater, qui nos respiciat, aliat, exaudiat, iuuet & defendat, qui colendus sit uera agnitione, inuocatione & obedientia, ita ut in

B 4 ipso

ENARRATIO SYM

ipso uero DEO Patre mens perpetuo acquiescat. De hac uoce Cyprianus inquit: Primum ponitur credo, Quia nec nauē quis ingreditur, & liquido & profundo uitam committit Elemento, nisi se prius credat posse saluari. Nec agricola semina sulcis obruit, & pro frugibus spargit in terram, nisi crediderit uenturos esse imbres, affuturum quoque Solis teporem, quibus terra confota, segete multiplicata frugem producat, & uentis spirantibus nutriat, nihil denique est, quod in uita geri possit, si non credulitas ante praecesserit, quid ergo mirum, si accedentes ad DEVM, credere nos primo omnium profiteamur, cum sine hac, nec ipsa uita communis finiri possit. Vide Hebrae. 11. & Esaie 7.

Quæ est secunda pars Symboli?

De redemptione. Cuius sunt sex articuli fidei Apostolicæ. Hoc nomine de tristissimo lapsu generis humani admonemur, cuius instauratione facta est per Filium, Ac illud ipsum opus omnium operum diuinorum summum est. Hæc pars diuidi potest in tria membra. I. de persona Redemptoris, in qua mirando modo due nature, Diuina & Humana ὁμοῦς ἕνωσιν unite

BOLI APOSTOLICI.

unite sunt. II. De beneficijs nostri Redem-
ptoris. III. Quis sit usus talium beneficio-
rum.

QVIS EST SECVN-
dus articulus Fidei?



Et in Iesum Christum Filiū
eius unicum Dominum nostrū
&c.

B 5 Hic

ENARRATIO SYM

Hic multa paucis complectitur: I. Quæ sit altera persona in Diuinitate. II. De nomine Redemptoris. III. De Christi Monarchia. IIII. Quomodo hic Redemptor agnoscendus sit.

Quæ est secunda persona Diuinitatis?

Est Iesus Christus æterni Patris unicus, cõternus Filius, qui sicut essentia idem est Deus cum Patre & Spiritu sancto. Ita proprietatibus ab utroq; distincta est Persona. Huc refer illustre testimonium Iohan. 1. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Cùm autem dicitur Filius Dei, cogites de diuina æterna eius generatione, quòd Deus Pater ab æterno Filium genuerit, cuius natura & substantia sit Patri consubstantialis & coessentialis, qui sit splendor gloriæ paternæ, & expressa imago substantiæ illius. De hoc mysterio Micheas cap. 5. inquit: Egressus eius ab initio à diebus æternitatis. Quod autem sit alia persona Patris, alij Filij, ipsa uox Filij Dei perspicuè demonstrat.

Cur additur unicus Filius?

Distinctionis causa, Christus solus est unigenitus

BOLI APOSTOLICI.

nitus & primogenitus, æternus & naturalis Filius Dei, in quo plenitudo Diuinitatis habitat $\sigma\omega\mu\alpha\tau\iota\kappa\omega\varsigma$. Alij autem sunt filij adoptionis & electionis, de quibus Iohan. 1. scriptum est: Dedit potestatem filios Dei fieri omnibus qui credunt in nomen eius.

Quæ nomina tribuuntur Filio Dei?

I. Vocatur **I E S V S**, quòd nomen Hebraicum Filio Dei in circumcissione mandato diuino per Angelum impositum est Matth. 1. cuius nominis Typi præcesserunt in Iosua duce, & Iesu Sacerdote summo. Etymologiam nominis reddit Gabriel: Is enim saluum faciet populum suum à peccatis suis. Hoc nomen miro compendio amplissimam doctrinam & consolationem exhibet. Hæc enim uox expressè testatur, quòd Filius Dei ab æterno à Patre genitus sit uerus Deus & uerus homo, Saluator populi sui, qui ad hoc apparuit, ut opera Diaboli destruat, & credentes ab æterna morte liberatos uita æterna donet. Deinde & illud docet, quòd sine hoc **I E S V** Salvatore, totus mundus à Deo abiiciatur, & nemo ex baratro condemnationis sine hoc Redemptore eluctari possit, qui solus est fons & uia salutis nostræ. Quare hinc sumas
uerè

ENARRATIO SYM

uerè ex methodo totius Euangelij efficax Anti-
dotoꝝ, quod opponas desperationi, particula-
ritati, indignitati, & omnibus uiribus ac terri-
culamentis Diaboli.

Cur dicitur Christus ?

CHRISTVS est nomen officij idem quod
Messias, Græcè Χριστός, Latine unctus, hoc uo-
cabulum complectitur regnum & Sacerdotis-
um. Olim enim & Reges & Sacerdotes unges-
bantur chrismate, siue oleo externo seu typico,
quæ unctio Spiritus sancti dona & efficaciam
significabat. Sic Christus unctus est ab æterno
Patre oleo Balsami propter Ecclesiam, propter
consortes suos, & uerè est ille Aaron in cuius
caput effusum est Balsamum, quod descendit in
Barbam, & in extimos uestimenti eius limbos,
de quo Psalmo 45. Propterea te unxit DEVS
oleo lætitiæ propter consortes tuos. Item Io-
hannis 1. De plenitudine eius nos omnes acce-
pimus.

Quod est tertium nomen ?

DOMINVS noster. Hoc nomen Monar-
chæ Christo tribuitur. Est autem peculiariter
& duplici nomine Dominus noster. I. Propter
Mysteriũ redemptionis, 1. Cor. 6. Eius enim iure
à pos

BOLIAPOSTOLICI.

à potentia et dominatu Satanæ, peccati et mortis liberati, facti sumus ipsius peculiū. Sicut enim Domini emunt sibi seruos, aut in bello seruant captiuos aut à morte præsentè liberant damnatos, unde dicuntur redemptores: Ita & nos uerè mancipia Satanæ gratis uenundati: gratis redempti precioso sanguine Christi ex faucibus inferorum erepti sumus, ut Petrus inquit: Redempti estis non auro & argento, sed precioso sanguine agni immaculati. Deinde Dominus dicitur propter diuinam potentiam & naturam, secundum quam omnia subiecta sunt Filio Dei, iuxta illud: Data est mihi potestas in coelo & in terra. Et Paulus de hoc Domino scribit 1. Corinth. 8. Licet sint multi Domini, tamen unus est Dominus IESVS CHRISTVS, per quem omnia, & nos per illum. Addimus autem simul Dominus noster, ut de applicatione & usu cogitemus. Sicut enim Filius Dei est meus Iesus & Christus, ita ipse est Dominus, qui perpetuo mei & totius corporis, cuius ipse est caput, curam gerit, arcet hostes, & tuetur Ecclesiam suam ab omnibus malis.

Quæ sunt beneficia redemptionis generis humani, quibus Filius Dei suum erga nos amorē in instauranda
randa

ENARRATIO SYM-
banda imagine DEI de-
clarat ?

1. Est. De quo loquitur tertius articulus:
Conceptus de Spiritu sancto.

2. Est. Natus ex Maria uirgine. Conceptus
est autem Christus nouo & inenarrabili modo,
qualis non fuit ab initio mundi, nec erit in per-
petuum, ut dicitur Haggæi 2. Commouebo cœ-
lum & terram, id est, faciam tale opus, quo to-
ta rerum natura in cœlo & terra commouebi-
tur, Angeli & homines, Vbi Filius Dei massam
generis humani assumens in infimas partes
terræ descendit.

Quis est modus conceptionis ?

Christi conceptio non est facta eo modo quo
totum genus humanum nascitur ex mare &
fœmina. Prima enim promissio de hoc Domino
incarnando affirmat, hunc contritorem capitis
serpentini futurum tantum mulieris, non etiam
uiri semen. Galat. 4. Necesse igitur fuit alio,
& præter naturam modo & ordine, concipi
& nasci, hunc Draconis contritorem. Hunc
Angelus exprimit Lucæ 1. Vbi simul interpre-
tatur prophetiam Esaie 7: Ecce uirgo concipiet
& pariet Filium, quod factum Esaias mira-
tur,

ENARRATIO SYM

tur, Et mirandum signum toti Ecclesie propos-
nit Emanuelis nostri incarnationem. Angelus
addit, quomodo id sit futurum, Spiritus sanctus
superueniet in te, & uirtus Altissimi obumbrat
bit tibi. Huc refer dictum S. Augustini: Per
gratiam Dei seu potentiam Dei, & operatio-
nem Spiritus sancti, de carne uirginis assum-
ptum est, quod uerbo est unitum. Et Cyprianus
elegantem inquit: Vide cooperantem simplicem
Trinitatem. Spiritus sanctus uenire dicitur, &
uirtus Altissimi obumbrare ei.

Quæ est autem uirtus Altissimi? nisi ipse
Christus qui est Dei uirtus & Dei sapientia,
cuius hæc uirtus est? inquit, Altissimi. Adest er-
go Altissimus, adest uirtus Altissimi, adest Spi-
ritus sanctus. Hæc est Trinitas ubiq; latens,
ubiq; apparens, uocabulisq; personisq; discre-
ta, inseparabilis substantia Deitatis. Quamuis
solus Filius nascatur ex uirgine, adest & Altis-
simus, adest & Spiritus sanctus, ut & conce-
ptus uirginis sanctificetur & partus. Huc re-
fer omnes promissiones et prophetias de semine
mulieris exhibendo de Siloh, de semine mulie-
ris exhibendo, de Siloh, de semine Dauidis.
Ac memorabile est dictum de hoc mysterio
Psalmo 110. Ros natiuitatis tuæ tibi ex utero
auroræ in magnificentijs sanctitatis, id est, ma-
gnifica

BOLI APOSTOLICI.

gnifica quadam sanctitate, & modo mirabili,
uelut Ros nasceris ex aurora purissima. Sicut
enim Sol è terra uaporem elicit, qui ob calidè
sursum ducentis paucitatem, temperatæ noctis
frigore in aquam resoluitur. Ita Spiritus sanc-
ctus è terra, id est, ex corpore uirginis Rorem
produxit sanctissimum Dei Filium.

Quæ est causa huius puræ con- ceptionis?

Oportuit Christum per omnia esse sanctissimum, & ab omni originali labe eximi, ut nobis
esse posset gratia & ueritas, ut nos purificaret
& sanctificaret, qui nascimur filij iræ, in ini-
quitatibus concepti. Ephes. 2. Psalm. 51. Ut unius
ca & illibata hostia pro peccatis totius mundi
sese offerret. Nam quod inquinatum, id quod
impurum est, purgare nequit. Imò labe & im-
mundicia per alterius immundi accessionem, im-
puritatem conduplicat. De hac causa finali in-
quit Angelus: Quod nascetur Sanctum uoca-
bitur Filius DEI.

Quod est alterum membrum huius ius tertij Articuli?

Natus ex Maria uirgine.

Sicut

BOLI APOSTOLICI.

Sicut magnum opus & bonum est Filium Dei fieri hominem: Ita & operosa res est supra omnium creaturarum & Angelorum vires, Virginem concipere de Spiritu sancto & parere Filium. Recte igitur hic exclamat Origenes: O magna admirationis gratia, ô inenarrabilis suauitas, ô ineffabile magnumq; sacrum &c. Quis unquam ista audiuit? quis uidit talia? Quis hæc excogitare potuit, ut mater uirgo esset, & intacta generaret? Quæ & uirgo permansit & genuit: Huc refer dictum Iohannis: Verbum caro factum est. Et Apostolus ait: Nuppiam assumit Angelos, sed semen Abrahamæ. Et ad Philippenses ait: Cum esset æqualis Deo, se ipsum inaniuit forma serui sumpta, in similitudinem hominum constitutus & figura reperiendus ut homo.

Quare Christus uoluit nasci ex uirgine?

1. Ut nouo modo natus absq; peccato, peccatum tollere posset.
2. Ut impleret prophetias & uaticinia Gene.
3. Semen mulieris &c. Gene. 22. In semine tuo &c. Gene. 49. Non auferetur sceptrum de Iuda donec ueniat Siloh, id est, fœtus mulieris.
3. Ut esset signum spiritualis regenerationis,

C que

ENARRATIO SYM^a

que non ex uoluntate carnis, neq; ex uoluntate uiri, sed ex Deo est, Iohan. 1. Vnde Augustinus: Oportebat caput nostrum insigni miraculo secundum corpus nasci de uirgine, ut significaret sua membra de uirgine, id est, Ecclesiam secundum Spiritum nascitura.

Quare Maria fuit ex profapia Dauidis mater Domini?

Causa hæc est: Prædictum erat ex ipso Dauid nasciturum Messiam, Psalm. 132. Iurauit DOMINVS Dauid ueritatem, & non frustrabitur eum, de fructu uentris tui ponam super sedem tuam. Deinde ut magis confirmaretur, hunc natum ex semine Dauidis esse uerum Messiam. Huc refer similitudines ualde memorabiles, quibus Origenes pingit Christi natiuitatem, sicut inquit, quondam rubus comburi uidebatur, & ignis eum non tangebatur, & sicut tres pueri in camino inclusi habebantur, & tamen eos non ledebat incendium, nec odor fumi erat in eis &c. Vel sicut Danieli intra lacum Leonum incluso, claustris non apertis allatum est prandium ab Habacuc: Ita & hæc sancta uirgo genuit Dominum, sed intacta permansit, Mater effecta est, sed non. uirginitatem amisit, genuit

BOLI APOSTOLICI.

genuit infantem & uirgo permansit. Virgo ergo genuit & permansit. Mater filij facta est, & castitatis sigillum non perdidit.

DIC QVARTVM FI.
dei Articulum.

Passus sub Pontio Pilato,
crucifixus, mortuus & sepul-
tus, descendit ad Inferna.

Hic Fidei articulus finem, usum & fructum
incarnationis Domini exprimit. Homo enim
factus est, ut pati & mori posset, & patiendo
moriendoq; ab aeterna morte totum genus hu-
manum redimeret.

Oportuit ne Christum incarna-
tum pati?

Quatuor sunt probationes, quod Messiam
iuxta scripturam pati oportuerit, quas Chris-
tus quasi fasciculo complexus est, Lucae 24.
Primum enim respiciendum est ad fontem omnium
promissionum, Gene. 3. Vbi praedicat Dominus: fu-
turum esse ut Serpens mordeat calcaneum Se-
minis nascituri, quem morsum de Christi pas-
sione uere intelligendum esse certissimum est.

C 2

Item

ENARRATIO SYM

Item Genes. 22. Benedictio gentium intelligenda est hoc modo, sicut Paulus interpretatur Galat. 3. Factus est pro nobis maledictum, ut in gentibus benedictio Abrahamæ fieret per Christum Iesum. Sic 2. Samuel. 7. In promissione Dauidi facta scriptum est: Qui si iniqui aliquid gesserit, arguam eum in uirga uirorum, & in plagis filiorum hominum.

Secunda probatio sumitur ex uictimis ueteris Testamenti: Omnia enim sacrificia inde usque ab initio pijs umbras proponebant sacrificij & passionis Christi, externis uictimis conscientie mundatæ non sunt, neque satisfactum est pro peccatis, sed illud animos piorum consolabatur, quod Messias sacrificium plenarium in remissionem peccatorum oblatus esset pro genere humano.

Tertia sumenda est ex figuris, quæ de hac uictima concionabantur. Abraham iussus est immolare filium Isaac, ex cuius stemmate proditurus erat Messias, Num. 21. Serpens erigitur æneus in deserto, ut hunc intuentes reualescerent. Quid hic significatum Christus respondit Iohan. 3.

Huc refertur monomachia Goliath & Dauidis. Eius agni Paschalis. Item Ionæ historia, qui post triduum ex uentre Balenæ prodijt.

Quarta

BOLI APOSTOLICI.

Quarta sumitur ex uaticinijs Prophetarum. Genes. 49. inquit Iacob : Lauabit in uino stolam suam, & in sanguine uuae pallium suum. Quae uerba descriptionem perspicuam continent, crucis & passionis Christi & Ecclesiae, quam Christus suo sanguine ab omni peccato abluit. Psalmo 110. scriptum est : De torrente in uia bibet, propterea exaltabit caput. Similia oracula passim extant in Psalmis 16. 22. & alijs. Esaiæ cap. 53. Daniel. 9. Zacha. 2. & 13. & alibi, Vbi de Christi sacrificio Prophetæ concionati sunt.

Quid est Christi passio ?

Est sensus horrendæ iræ Dei aduersus peccata totius generis humani deriuatæ in Christum Mediatorem, & acerbissimi dolores anime & corporis Christi ordinati mirando temperamento iusticiæ & misericordiæ diuinæ, ad compensationem peccatorum, & placandam iram Dei, ut generi humano liberato à peccato & morte, iusticia & uita æterna restituatur.

Descriptio partium passionis Christi.

Hortus, Pontifices, Reges, Crux atq; Sepulcrum.
Historiæ passi membra notanda tibi.

C 3 Quæ

ENARRATIO SYM.
Quæ sunt causæ passionis
Christi?

Causas mirandi consilij & decreti de redemptione generis humani, hoc & non alio modo perficienda, ut Filius supplex Patri uictima fieret, penitus cognoscemus in cœlesti Academia. Hic tantum initia consideranda sunt.

Efficiens causa principalis est uoluntas Filij Dei, sponte intercedentis pro homine in peccatum & mortem lapsò, & offerentis se ad obedientiam & poenam, ut esset $\lambda\upsilon\tau\omicron\rho\varsigma$ plenarium pro nostris peccatis, Psalm. 39. Iohan. 10. Hebræ. 10.

Efficiens impulsua interior, est immensa misericordia DEI, temperata iusticiæ diuinæ. Cum enim Deus sit immutabiliter iustus, uerè irascens peccato, non recipit lapsos sine æquali compensatione. In Filium ergo peccati sarcinam deriuat, ut iusticiæ diuinæ satisfiat, & in exhausta suæ misericordiæ beneficia in nos effundat, Iohan. 3. Romæ. 5. Ephes. 2. 5. 1. Iohan. 4. scriptum est: In hoc manifestata est dilectio Dei erga nos, quòd Filium suum unigenitum misit Deus, ut esset propiciatio pro peccatis nostris.

Efficia

BOLI APOSTOLICI

Efficiens impulsiva $\tau\rho\omicron\kappa\alpha\tau\alpha\rho\eta\tau\iota\kappa\acute{\eta}$ siue exterior, est lapsus primorum parentum, & peccatum inde in nos omnes deriuatum, quibus in æternis pœnis percundum fuisset, nisi Filius Dei uictima factus esset, Rom. 4. Traditus est propter peccata nostra. Esaiæ 43. Laborare me fecisti in peccatis tuis. Esaiæ 53. Vulneratus est propter peccata nostra.

Quæ est causa finalis?

Principalis finis est, ut genus humanum ab ira Dei & æterna damnatione redemptum, iusticia & uita æterna donetur. Iohan. 3. Sicut Moses exaltauit Serpentem in deserto, sic exaltari oportuit Filium hominis, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam æternam. De hoc fine Augustinus optimè dicit: Per Redemptoris nostri mortem, de tenebris ad lucem, de morte ad uitam, de corruptione ad incorruptionem, de exilio ad patriam, de luctu ad gaudium, de terris ad cœleste regnum uocati sumus. Huc refer elegantissima uerba Cyrilli: Christus ligatus uinculis, ut nos à peccatorum & Diaboli uinculis eriperet, ducimur in iudicium, & audit damnationis sententiam, ut condemnatio Legis in se ipsa condemnata, euanescat, & omnis iniquitas os suum obstruat.

ENARRATIO SYM

Cumq; peccatum non fecit, pro peccatis omnium condemnatus sit. Dimittitur homicida Barnabas, & iustus & sanctus interficitur, ut nos à uero homicida Diabolo liberet, flagellatur, ut à uulneribus, quæ iure peccatis nostris percipi sumus, nos liberet. Coronatur spinis, ut prima illa condemnationis sententia solueretur: In ligno moritur, ut satisfaciat pro peccato, uulneratur in corpore suo, ut nos à Diabolo occisos, instar Pellicani rursus uiuificet, aspergens nos suo sanguine, Brachia expandit in cruce, ut nos in dulcissimo suo complexu asportet in coelum ipsum, Moriens in Dei Patris manum omnia commendat, ut nobis magnæ spei fundamentum & originem præbeat, cum à Sanctorum corporibus animæ abierunt.

Qui sunt effectus Passionis Christi?

I. Liberatio & redemptio generis humani ab ira Dei, peccato, morte, & Tyrannide Diaboli & maledictione legis 1. Timoth. 2. unus Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus Gal. 3. Christus nos redemit à legis maledictione, factus pro nobis maledictum.

II. Sea

BOLI APOSTOLICI.

II. Secundum beneficium est remissio peccatorum iustificatio, destructio regni Diaboli & reconciliatio cum Deo Ephe. 1. Collos. 1. In quobus habemus redemptionem per sanguinem eius remissionem peccatorum. Roma. 3. Iustificamur gratis ipsius gratia per redemptionem factam à Christo Iesu, quem proposuit Deus propiciatorem per fidem in sanguine eius. Item 2. Corinth. 5. Eum qui non nouit peccatum, fecit peccatum, ut nos fieremus iusticia Dei in ipso &c.

III. Donatio Spiritus Sancti & sanctificatio Iohan. 16. Si non abiero Paracletus non ueniet ad uos Gala. 3. Christus nos redemit, factus pro nobis maledictum ut promissum Spiritum accipiamus per fidem. Ephes. 5. Christus dilexit Ecclesiam & semetipsum tradidit pro ea ut eam sanctificaret.

IIII. Electio in Reges & Sacerdotes & exæquatio Iudæorum & gentium Apocal. 5. Mactatus es & redemisti nos per sanguinem tuum, ex omni gente & tribu, fecistis nos Deo nostro reges & sacerdotes. Ephe. 2. pacem faciens ut reconciliet Iudæos & gentes in uno corpore Deo per crucem.

V. Vita & salus æterna Paradysi Iohan. 3. ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat,

C 5 beat,

ENARRATIO SYM³

beat, uitam æternam. Hab. 5. Quanquam erat Filius, tamen obediuit Deo in passione & factus est omnibus ad ipsum confugientibus causa æternæ salutis.

Cur fit mentio Pontij Pilati in Symbolo?

Vt significetur Christum uerè esse exhibitum iuxta oracula Iacob & Danielis, quod passus sit in 4. Monarchia sub Imperatore Tyberio, cum iam Sceptrum Iacob conciderat, & populus Romanis non suis Regibus, ex stirpe Iudaica pareret. Primus autem Augustus libertatem Sceptri siue regni Iudæis eripuit, Herode Magno constituto alienigena, ut esset primus Rex Iudæorum, eo mortuo & Archelao relegato per magistratus Romanos iurisdictio superior administrata est, ac ab Augusto uiuente tres Præsides eò missi sunt: Pomponius, Marius & Ruffus, quorum singuli biennio præsuerunt. Tyberius uerò Imperator initio sui regni Valerium Grachum eò misit, cui. 2. anno Tyberij successit Pontius Pilatus qui rexit Iudæam annis 10. & septimo anno sui regiminis Christum condemnauit.

Quis est modus Passionis?

Crucis

BOLI APOSTOLICI.

Crucifixus & in cruce mortuus est. Erat autem supplicium crucis ut probrosissimum, ita & acerbissimum ut dicitur in lege: Maledictus qui in ligno pendet. Deut. 21. Hoc genus supplicij suscepit in se Dominus, quod apud omnes gentes fuit maxime contumeliosum, ut factus pro nobis $\kappa\acute{\alpha}\theta\alpha\rho\mu\alpha$ siue piaculum, nos à maledictione legis liberaret, & ut benedictio, cælestis Abrahæ promissa in gentes redundaret. Galat. 3. $\kappa\acute{\alpha}\theta\alpha\rho\mu\alpha$ uerò rei foedissimæ & deterrimæ appellatio est, quam prorsus delere & è medio tolli necesse est, & propter quam Deus toti rerum naturæ irascitur. Tale $\kappa\acute{\alpha}\theta\alpha\rho\mu\alpha$ fuit Christus in cruce pendens, cum in Golgatha crucifixus sentit in se effundi maledictionem legis, totamq; uim iræ diuinæ, ac si ipse meis, tuis & turpissimorum hominum sceleribus pollutus fuisset, de hoc fine scriptum est Colloß. 2. Chyrographum quod contra nos erat per legem, è medio sustulit & cruce affixit & Ioh. 12. ipse ait Dominus. Ego cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Satisfactum est & ibi figuris ueteris Testamenti. Omnia enim sacrificia quæ uictimam Christum, adumbrabant lignis imponebantur, significabant Christi sacrificium, qui Patri hostiam sanctam in odorem suauitatis oblaturus esset, Des
inde

ENARRATIO SYM

inde sacrificia eleuata in altum antequam comburebantur, Christi in ara crucis exaltationem significabant. Idem adumbratum est in Isaac, qui strui lignorum imponebatur sacrificandus à patre, sed omnium elegantissimè hoc supplicij genus depingit æneus Serpens. Nume. 21. quem de se Dominus interpretatur Ioan. 3. Huc refer Christi officium sacerdotale quod hic in cruce absoluit.

Cur Christus in cruce moritur?

I. Propter uaticinia. Esaiæ. 53. scriptum est: Abscissus est de terra uiuentium, propter peccatum populi mei percussus eum, Et in eodem capite inquit Deus: Cum posuerit animam suam pro peccato, uidebit semen longæuum, & uoluntas Domini secundum manus eius dirigetur.

II. Hanc mortem etiam figuræ significabant, sicuti enim uictimæ uerè occidebantur offerendæ: Ita oportuit Christum uerè mori, ut ueritas figuræ congrueret.

III. Finis mortis Christi est, de quo Roma. 4. Mortuus est propter peccata nostra. Item mortuus est semel, ut nos peccato perpetuo moriamur. Et Heb. 2. scriptum est: per mortem suam destruxit eum, qui mortis habebat imperium,

BOLI APOSTOLICI.

um, & liberauit eos qui metu mortis in omni
uita obnoxij erant seruituti. Hunc effectum mor
tis Christi significabat inter cætera prodigia
ipsa scissio ueli in templo. Hic enim summus Sa
cerdos per sanguinem ingressus semel in sancta
Sanctorum æternam redemptionem inuenit.
Hæbræ. 9. Nobisq; uiam salutis donauit ut &
nos donati hoc priuilegio sacerdotali cum fi
ducia inuocemus Deum, uelo legis non amplius
nobis obstante, Deinde memorabile est, quod ex
latere Christum morientis in cruce sanguis &
aqua effluit, quæ ostendit non tantum nos san
guine Christi abluui ab omni peccato: Sed etiam
imaginem Sacramentorum proponit Baptismi
& Cænæ Domini, de qua eruditè annotauit
Theophilactus: Nos per aquam Baptismi rege
nerauit, subinde alit porro participatione cor
poris & sanguinis Christi in Cæna Dominica,
ut sumentes sanguinem Christi in sacra Cæna
aliud non sentiamus, quàm nos bibere sangui
nem Christi ex latere eius.

Cur sepultus est Dominus noster?

- I. Vt ostenderet se uerè mortuum esse in
cruce.
- II. Vt ueritas figuræ congrueret. Sicut
enim Ionas fuit in Balena tribus diebus & no
ctibus:

ENARRATIO SYM

Etibus: Ita oportuit Christum in sepulchro esse triduum, ut ipse Dominus hunc Typum interpretatur. Matth. 12.

III. Ut una secum in sepulchro nostra peccata sepeliret, tegeret & in eternum absconderet à conspectu Patris, et nostram mortem in somnum & dulcissimam quietem conuerteret. Hunc fructum sepulturae ipse his uerbis tradidit: Amen amen dico uobis, nisi granum frumenti deiectum in terram mortuum fuerit ipsum solum manet, si uero mortuum fuerit, multum fructum adfert. Sicut autem Adam & Eua in horto peccauerunt, & primi parentes facti sunt mancipia Diaboli & mortis: Ita restaurator generis humani in horto sepelitur ut *ἀναστὰς* presentissimum petamus à solo Christo, qui uicto Diabolo & morte in horto quiescens resurrexit. Deinde toto Sabbato in sepulchro esse uoluit, ut sciamus Christum ideo pro nobis passum & mortuum, ut in ipso ira Dei absorpta nos habeamus pacem & statuamus nobis per ipsum reddi uitam, ueram quietem, iustitiam & uitam eternam. Nos enim cum morimur in Christi sepulchro quiescimus & expectamus honorem eterni Sabbati, id est, uerae agnitionis & gloriae Dei ubi perpetua uita & letitia in Deo perfecta acquiescimus.

III VI

BOLI APOSTOLICI.

III Vt nos spiritualiter mortui peccato in nouitate uitæ ambulemus sicut, Apostolus hortatur. Roma. 6. Sepulti sumus per Baptisma cum ipso in mortem eius, ut quemadmodum ipse exaltatus est per gloriam Patris ita & nos in nouitate uitæ ambulemus.

Quid sentis de articulo descensus Christi ad Inferos?

De hoc membro Symboli uariæ sunt Interpretum sententiæ. Augustinus in libro de fide & Symbolo hæc uerba neq; ponit in regula fidei neq; exponit. Cyprianus hæc tradit: Scisendum sanè est, quod in Ecclesiæ Romanæ Symbolo non habetur additum: Descendit ad inferna, sed neq; in Orientis Ecclesijs habetur hic sermo: uis tamen uerbi eadem uidetur esse in eo, quòd sepultus dicitur. Hæc ille. Videtur igitur sentire Cyprianus descendere ad inferna, aliud non esse, quam condi sepulchro, iuxta illud Iacobi Patriarchæ: Deducetis canos meos cum moerore ad Inferos. Hanc sententiam multi uelut iusta ratione carentem reijciunt.

Dic testimonia de descensu Christi ad Inferos?

Psalmo 16. Scriptum est: Quoniam non derelinques

ENARRATIO SYM.

derelinques animam meam in Inferno, nec das
bis Sanctum tuum uidere corruptionem. Notas
mihi fecisti uias uitæ &c. Item Psalmo 30. Do-
mine deduxisti de Inferno animam meam. Viuis-
ficasti me à descenditibus in lacum. Osee 13.
De manu mortis liberabo eos, de morte redi-
mam eos, Ero mors tua ô mors, morsus tuus
ero Inferne. Acto. 2. Crucifixum interimisti,
quem Deus suscitauit solutis doloribus mortis
&c. Ephes. 4. Cæterum illud ascendit quid est
nisi quod etiam descenderat prius in infimas
partes terræ &c. Huc etiam referunt nonnulli
illud Petri in 1. Cap. 3. ubi asserit Dominum in
spiritu abiisse, & inobedientibus ac spiritibus
detentis in carcere prædicasse etc. His & simi-
libus testimonijs nituntur uerba Symboli quibus
adductus Athanasius hæc uerba in Symbolo re-
citatur: Sicut anima rationalis & humana caro
unus est homo: Ita Deus & homo unus est Chri-
stus, qui passus pro salute nostra descendit ad
Inferos, tertia die, resurrexit à mortuis.

Quæ est sententia huius Articuli?

Magna hic est diuersitas sententiarum I. Qui-
dam dicunt secundum animam Christum descen-
disse ad Inferos, ut sanctorum animas secum è
lymbo

BOLI APOSTOLICI.

lymbo educeret (quem in ueteri testamento apud Inferos fuisse asserunt) & in coelum subueheret.

II. Alij animam Christi separatam ad Inferos descendisse dicunt, ut ferret ibi cruciatus satisfactorios ad auertendas à nobis poenas secundæ mortis & torturæ Infernalis, &c.

III. Quidam idem esse putant quòd sepeliri, cum in Symbolo Athanasij omissa mentione sepulturæ dicatur Christum descendisse ad Inferos.

III. Alij articulum intelligunt de angustijs & doloribus in agone qui mortem Christi præcesserunt, cum & Psalmus 16. hanc clausulam præmittat.

V. Alij, inter quos S. Lutherus, totum Christum ad Inferos descendisse aiunt, & animam Psal: 16. pro toto homine exponunt. De modo & alijs circumstantijs descensus quod sit factum in seculo altero, nihil inquiri uolunt.

VI. Quidam de intermedio tempore quod inter mortem & resurrectionem Christi intercessit nihil scrutandum esse putant, & sentiunt quod uel in ipso momento resurrectionis uiuus iam Christus triumpharit contra Satanam & Inferos, & regnum Satanæ prorsus conciderit, & pij liberationem senserint.

D

Vocabula

ENARRATIO SYM[̄]
Vocabulum inferni quid sig[̄]
nificat hoc loco?

In scriptura sacra uox inferorum uarias ha[̄]
bet significationes, aliàs significat sepulchrum,
aliàs ipsos dolores & cruciatus quos pij in hac
uita sentiunt, aliàs locum supplicij impijs desti[̄]
natum. Tutissimum est autem hìc uocabulum de
Tartaro intelligi de quo & Augustinus ad Dar[̄]
danum scribit Dominum ingressum esse Tartar[̄]
rum, sed nullum sensisse cruciatum. Latini in[̄]
fernum uocant quod infranos in terris locus
damnatorum constitutus sit, ut Nu: 16. dicitur.
Descenderunt uiui in infernum operuitq; eos
terra. An uerò in centro an alibi locus ille sit
suppliciorum cum sacra scriptura non defini[̄]
erit, curiosè non inuestigemus. Græcis dicitur
τάραξ & ἀπὸ τῆς τάρταξιζεν, id est, cum
tremore quodam obrigere, & dentibus stris[̄]
dorem edere, ut Matth. 22. dicitur: Ibi erit fle[̄]
tus & stridor dentium. Sic dicitur ἄδης ab α
& εἰδῆς, id est, non uidere, seu locus luce ca[̄]
rens, qui Matth: 22. tenebræ exteriores nomi[̄]
natur, id est, extremæ seu summæ tenebræ, in
quibus conspectu Dei seu luce, consolatione, ius[̄]
titia & uita diuina priuati impij non modò
noctem perpetuam, sed summos & inenarrabi[̄]
les

BOLI APOSTOLICI.

les dolores & cruciatus animi & corporis sustinent. Dicitur alias Topheth sumpta appellatione à loco uicino moenibus Ierosolymorum uersus ortum, qui alioqui Gehenna seu uallis Ennon dicebatur, in qua abominando igne liberos suos parentes idolo Moloch cremabant, Iere. 7. 4. Reg. 15.

Quid est descendere ad Inferos?

Hæc phrasis scripturæ probè est consideranda. Primum enim significat, cum de Christo loquimur. Ipsum natura Deum & æterni Patris filium, iuxta æditam promissionem assumpsisse humanam naturam, & subiisse ante mortem in passione horrendum agonem, in quo incendium iræ diuinæ aduersus omnium omnia peccata in se effundi, & se paulisper à Deo deseri sensit, & luctatus est cum tentatione de abiectioe. Deinde significat Christi triumphum, qui post mortem non modò efficacia suæ passionis, sed etiam reuera & essentialiter pro nobis ad infernum descendit, & regnum Sathane expugnauit, ne animæ nostræ apud inferos detinerentur. Ac de tali uictorioso descensu articulum fidei: Descendit ad inferos: intelligo simpliciter. Etsi uerò hæc beneficia Christi quæ

D a pro

ENARRATIO SYM.

pro genere humano prestitit suo descensu, tantum nunc diuinæ, nunc humanæ naturæ conueniant: Tamen iuxta Idiomatum communicationem de tota Christi persona, Deo & homine, intelligenda sunt, & rectè in concreto dicitur: Deus pro nobis passus, mortuus, sepultus ad inferos descendit. Propria enim sunt hæc diuinæ naturæ: Vincere Diabolum, destruere mortem & inferos, resurgere & ascendere ad cælos, quæ tamen cum unus Christus sit Deus & homo, de homine quoq; intelligenda sunt, ut Christus Deus & homo sit uictor mortis, Diaboli & inferorum, sedeat ad dexteram Patris, regnans pari potentia cum Patre &c. Huc refer quæstionem Augustini: Quomodo fuit Christus apud inferos, inquit? Totus Filius fuit apud Patrem, totus in utero uirginis, totus in cælo, totus in terra, totus in cruce, & totus in inferno.

Quis est usus huius Articuli?

Etsi in hoc articulo multa agitantur spinosa de modo, tempore & similibus circumstantijs: Tamen illud uerè fatemur, nos ut multarum rerum in natura causas peruestigare non possumus: Ita in hoc articulo alijsq; plurimis multa non perspicere, quæ futuræ & æternæ scholæ resera

BOLI APOSTOLICI.

reseruanda sunt. Satis igitur sit illud scire & credere per Christi descensum abolitur esse peccatum, absorptam mortem, destructam Diaboli & inferorum potentiam, sicut scriptum est in Osea: De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos, ero mors tua ô mors, Morsus tuus ero inferne. De hoc fine rectè dixit Hieronymus: Christus mortuus est ut nos uiueremus, Christus ad inferna descendit, ut nos ascenderemus in coelum, Christus factus est stultitia, ut nos fieremus sapientia, Christus factus peccatum, ut nos fieremus iusticia, &c.

QVIS EST QVINTVS FIDÆ dei nostræ articulus?

Hic est:

**TERTIA die resurrexit à
mortuis.**

Hic articulus inter alios omnes ferme primas tenet, cum sit fidei nostræ, salutis, resurrectionis nostrorum corporum, uitæ æternæ causa & fundamentum 1. Corinth: 15. cuius etiam Apostoli se præcipuos testes Euangelicos esse profitentur.

D 3 Die

156

ENARRATIO SYM³
Dic testimonia de Christi
resurrectione?

Infinita sunt, hæc nos pauca enumerabimus
Moses in uictoria Christi, & contritione capi-
tis Draconis & benedictione æterna credentis-
simi in Christum, mortis & resurrectionis sue
mysterium includit. David Psalmo 16. disertè
ait: Non dabis sanctum tuum uidere corruptio-
nem. Item caro mea requiescet in spe. Psal-
mo. Exaltabit caput. Et ex his Psalmis Petrus
Acto: 2. Christum resurrexisse à mortuis pro-
bat. Esaiæ 53. Cum posuerit animam suam pro
peccatis, uidebit semen longæuum. Sic Daniel
cap: 9. Christum occidendum dicit, cui tamen
æternum regnum tribuit. Huc refer omnia tes-
timonia quæ de regno Christi loquuntur, quibus
resurrectio Christi à mortuis inclusa est. Item
Figuras de hoc articulo in ueteri Testamento:
Sicut enim Adam dormiens fuit typus Christi
morituri, Ita idem euigilans, sumpta costa de la-
tere ipsius, resurrectionem Christi adumbrabat.
Ac sicut Ionas 3. die de uentre piscis extractus
est: Ita Dominus tertio die in uitam ex sepul-
chro prodijt Matth. 12. A Christi resurrectione
sunt 1532. usq; ad hunc annum currentem nempe
1566.

Quid est Christi resurrectio?

Est

BOLI APOSTOLICI.

Est eluctatio eius ex morte, qua diuina sua potentia consecutus est gloriosam uictoriam contra Diabolum, peccatum, infernum & mortem, ut genus humanum ab his hostibus liberatum, seruiat Deo in sanctitate & iusticia, ac resuscitatum ex morte, in extremo iudicio perpetua leticia, in uita æterna cum Deo fruatur.

Quæ sunt testimonia quibus ipse Filius Dei hunc Articulum confirmat?

Apparitiones huc refer, quibus se Christus uiuum ostendit post resurrectionem die Pasche. Primum Marie Magdalene, ut Vinitor apparuit. II. Omnibus mulieribus congregatis. III. Petro Simoni. IIII. Duobus in itinere ad Emaus. V. In clauso cœnaculo cum ederet pisces assatos. VI. Deinde die ab hinc octauo apparuit Thomæ coram omnibus Apostolis. VII. Multò post in Galilæa in piscatione ad mare Tyberiadis. VIII. Rursus paulò post in monte Thabor, pluribus quàm quingentis fratribus apparuit, ubi ministerium instituit. IX. Paulus etiam meminit, quòd Iacobo apparuerit, 1. Corinth. 15. qui dictus est frater Domini. X. Multò post de cælo sese ostendit,

ENARRATIO SYM

stendit Stephano Martyri, & Paulo eunti Damasum, nec dubium est per quadraginta dies quibus conuersatus est cum Apostolis & Maria, sepius apparuisse etiam alios resuscitados cum Christo, sicut dicitur Matth. 27. Apparuerunt multis, ut fides huius articuli muniretur.

Quomodo intelligendum est illud: Tertio die resurrexit?

Tempus non temerè in Symbolo exprimitur, quod sic intelliges, Die parascheues hora 6. in meridie crucifixus est Dominus, Hora 3. circa uesperam expirauit. Ante finem eius diei sepultus est, is dies numeratur pro primo. Tota enim die ac nocte precedente fuit oppressus morte peccati, ira Dei, Inferno & Tyrannide Diaboli. Deinde toto Sabbato quiescit in sepulchro, & circa principium primi diei Sabbatorum qui nobis est Dominicus resurrexit à mortuis, Oriens ex alto circa auroram Sol iusticiæ, is est tertius dies. Et si uerò Matth. 12. Historiam Ionæ citat Dominus & accommodat ad sepulturam trium dierum & noctium, tamen se postea explicat capite sedecimo & 20. quod Oratio sit Synecdochica, dicit enim: Oportet me
abire

abire Ierosolymam, & multa pati à scribis & senioribus, & tertio die resuscitari.

Cur Christus in horto resurgit?

Christus destruit hoc loco eternam mortem, ut nos doceat mortem illam qui cæperat in Paradyso per suam gloriosam resurrectionem esse destructam & abolitam, nobisq; nunc patefactum aditum ad Paradysum, à qua gladio arcebamus per Angelum post lapsum, Vnde ad latronem dicit Christus: Hodie mecum eris in Paradyso. Sepulchrum cur sit nouum ex quo Christus prodit resurgens Cyrillus exponit: Monumenti nouitas nouum atq; inauditum de morte ad uitam reditum significat. Nam et ipsa mors in Christi morte innouata, ad sommi conditionem mutata est. Apparuit etiam Christus omnium primū post resurrectionem mulieri, cū primum exorsa erat peccatum, ministra Diaboli, exponens marito contionem, quæ causa mortis fuit. Vt igitur ostendat Gratiam peccato maiorem esse, & hunc sexum esse cohæredem Christi, gratiæ & uitæ. Apparuit item habitu hortulani, ut ostenderet se uerè esse illum hortulanum cœlestem Adamum, qui aboleat mortem, quam primus hortulanus Adam terrenis sua inobedientia & lapsu in mundum in-

ENARRATIO SYM³

uexerat & se esse uitæ instauratorem, quæ in primo amissa erat.

Quis est fructus resurrectionis Christi?

Resurrectio Domini docet & conuincit mentes de diuinitate Christi, quod natura sit Deus & Filius Dei, sicut hæc dicta testantur, Iohan. 10. Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Rom: 1 dicit Paulus quod Christus filius Dei declaratus sit per hæc duo admirabilia opera resurrectionem & effusionem Spiritus sancti.

II. Docet quale sit regnum Christi. Etsi enim Filius Dei ab æterno fuit Deus & dominus Diaboli: Tamen nunc resurrectione constitutus est Saluator hominum, caput Ecclesiæ, & hanc potentiam tanquam propter nos & Ecclesiam accepit, de hoc Domino dicitur Matth. 28. Data est mihi omnis potestas. Ephes. 1. Deus operatus est potentiam suam in Christo, suscitans eum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in coelestibus.

III. Effectus resurrectionis Christi, est liberatio à peccato, æterna morte & maledictione Legis. 1. Corinth. 15. Absorpta est mors

BOLI APOSTOLICI.

mors in uictoriam. Osee 13. De manu mortis liberabo eos.

IIII. Victoria Diaboli & euerſio regni Sathanici, Genes. 3. Semen mulieris conteret caput Serpentis. Psalm. 110. Ponet inimicos suos os scabellum pedum suorum.

V. Restitutio iusticie, & inchoatio uite eterne, siue ipsa iustificatio, Rom. 4. Resurrexit propter iusticiam nostram.

VI. Donatio Spiritus sancti, qui pacem, letitiam bonæ conscientie, ueram consolationem, iusticiam & uitam accendit in cordibus hominum, qui Euangelium de Christo uiuente fide amplectuntur, Acto. 2. Iohan. 16. Si non abiero, non ueniet ad uos Paracletus. Et Petrus 1. cap. 3. inquit: Baptismus non est ablutio sordium in corpore, sed stipulatio bonæ conscientie, per resurrectionem Domini nostri Iesu Christi. Hinc Christus ipse pacem suis Discipulis optat post resurrectionem, de qua Cyrillus ait: Salutat Discipulos dicens: Pax uobis, seipsum pacem appellans. Nam quibus Christus adest, hi certè eius spiritu conseruantur. Huc refer inchoationem nouæ obedientie, de quo Roma. 6. Consepulti sumus cum Christo, ut cum eo resurgamus &c.

VII. Missio & gubernatio ministrorum Ecclesie ad docendum Euangelium, ac potestas
clauis

ENARRATIO SYM

clauium, Iohan. 20. Sicut me misit Pater, ita & ego mitto uos, quorum remisistis peccata &c. Ephes. 4.

VIII. Intercessio apud æternum Patrem pro nobis, Roma. 8. Christus est qui resurrexit, est ad dexteram Dei Patris, & interpellat pro nobis.

IX. Resurrectio nostrorum corporum, uita æterna, & integra instauratio nostræ naturæ, quæ noua & æterna luce, sapientia, iusticia, læticia, & uita donatur, Iohan. 12. Cum exaltatus fuero, traham omnes post me. Et hæc est uoluntas Patris mei, ut omnis qui credit, habeat uitam æternam, & ego resuscitabo cum in nouissimo die, Colos. 2. Deus nos simul uiuificauit cum Christo. Huc refer omnia alia beneficia Christi, resuscitati & regnantis, quæ ut testatur Apostolus 1. Corinth. 15. Prorsus imperfecta mansissent, nisi ex mortuis resurrexisset.

QVIS EST SEXTVS FIDELI dei nostræ Articulus?

Ascendit ad coelos sedet ad
dexteram Dei Patris Omnipotentis.
Dic

BOLI APOSTOLICI.

Dic testimonia huius articuli?

Multa extant in sacris literis uaticinia de hoc triumpho & Christi gloriosa ascensione in coelum, Gene. 3. 22. Psalmo 13. scriptum est: Quis dabit ex Sion salutare Israël cum auerterit Dominus captiuitatem plebis suæ. Psal. 47. Ascendit Dominus in Iubilo. Psal: 84. Auertisti captiuitatem Iacob. Osee 9. De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos. Zach. 9. Eduxisti uinctos ex lacu. Mich: 2. Ascendit perruptor ante eos, erumpent & transibunt per portam, exhibuntq; per eam, rexq; eorum ante eos transibit, & imminebit Dominus capitibus eorum. Zach. 14. illa die stabunt pedes eius super montem oliuarum, &c. In primis uerò pulcherrimum est testimonium huius articuli Psalmus 68. Ascendisti in altum, cœpisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus. Hoc uaticinium Paulus interpretatur Colosso. 2. Ephe. 4. Petrus Acto. 2. de Christi ascensione in coelum.

Quid est Christi ascensio in coelum?

Est depositio mortalitatis & uisibilis conuersationis & consuetudinis cum hominibus,
ita

ENARRATIO SYM^a

Ita tamen ut Christus Deus & homo uero suo corpore unito diuinitati utiq; præsto sit totus & integer, ubicunq; uult præsens esse, & se uero bo suo alligauit cum Patre, omnia qui sunt in celo & in terra administrans & implens, nullo certo loco affixus, protegens & seruans Ecclesiam per uerbum & Sacramenta, inde rediturus ad iudicium uiuorum & mortuorum iuxta dictum, Ascendit super omnes caelos ut omnia impleret. Item, Ego uobiscum sum usq; ad seculi consumationem. Hæc ascensio complectitur immortalitatem, impassibilitatem, exaltationem in Sacerdotio & regno.

Quid in scripturis dextera Dei significat?

Omnipotentiam Dei usitatissimè signat & maiestatem ac gloriam æternam. Psalmo. 118. Dextera domini fecit fortia, dextera Domini exaltatur. Actorum 2. per dexteram Dei exaltatus promissum Spiritum effudit in nos.

Quid est sedere?

Est regnare & potentiam ac officium regis exercere. Esai. 9. Super solium David, & super regnum eius sedebit. Est igitur sedere ad dexteram Dei Patris hoc loco idem quod regnare
pari

BOLI APOSTOLICI.

pari omnipotentia, maiestate & gloria cum
aeterno Patre Psal. 110. Dixit Dominus Domino
meo sede à dextris meis, quod Paulus interpre-
tatur 1. Corinth. 15. oportet Christum regna-
re, donec posuerit inimicos &c. Huc refer di-
ctū Basiliij, Stultum est dexteram Dei de aliquo
loco intelligere.

Quomodo soluis argumentum?

Christus ascendit in cœlum, sedet ad dexte-
ram DEI.

Ergo non potest esse in Cœna, & distribu-
re corpus & sanguinem suum.

Respondendum est simpliciter: Etsi Chris-
tus ascendit in cœlum, retinens duabus natu-
ris suas proprietates, tamen hic ascensus non
impedit ueram corporis Christi præsentiam in
Cœna, aut impossibilem reddit, uerumetiam con-
firmat & magis probabilem reddit. Quia Ie-
sus Christus uerus Deus & homo ut Rex omni-
potens equali potentia & maiestate cum Pa-
tre regnat & defendit suam Ecclesiam, & cum
hæc persona infinita sit essentia & potentia,
Vbiq; est & implet omnia, nec est absq; natura
humana quam sibi inseparabiliter uniuuit: Quas
re credamus Dominum nostrum Iesum Chris-
tum infinite essentia & potentia personam
adesse

ENARRATIO SYM^a

adesse posse, & uelle ubi sunt fidelium con-
gressus, iuxta illud: Vbi duo aut tres &c. Et
reuera esse presentem uero corpore & sangui-
ne in Cæna. Etsi modus nobis sit ignotus & in-
peruestigabilis. Ac memorabilis uox est Basilij
in opere de Spiritu Sancto Cap. 6. Sedere ad
dexteram Dei non est uersari in certo loco,
sed pari potentia cum Deo regnare.

Contra.

Pauperes semper habebitis uobiscum, me
non semper.

Item relinquo mundum & uado ad Patrem,
Iohan. 16.

Paulus inquit Colos. 3. Christus est in dex-
tera Dei sedens.

1. Corinth. 11. inquit: Mortem Domini an-
nunciabitis donec ueniat.

Ergo Christus non est in Cæna, & cælo lo-
caliter includitur.

Respondeo: Dicta illa & similia sunt intels-
ligenda de uisibili presentia & conseruatione
Christi, sicut cum matre uixit agnatis & Apo-
stolis, non in presentia personali in ministerio
aut Sacramento. Vult enim Christus suam Ecs-
clesiam inuisere, docere, monere uerbo & Sac-
cramens

BOLI APOSTOLICI.

eramentis & Spiritu sancto sanctificare, & ad
desse personaliter, ubi in nomine eius conueni-
tur, iuxta illud: Vbi duo aut tres conuenerint
&c. Item: Non relinquam uos orphanos.

Contra.

Nulla natura finita simul in diuersis locis es-
se potest.

Corpus Christi est finitum.

Ergo

Corpus Christi non potest simul esse in di-
uersis locis.

Respondeo: Deus agens aliquid extraordi-
nariè, non est alligatus ad regulas Physicas &
Dialecticas, ut in creatione: Ex nihilo nihil
fit. In conceptione Christi, & unione duarum
naturarū. Ita in Cœna fit exceptio. Non enim
est actio Physica, sed diuina & cœlestis, & uas-
let non propter causas Physicas, sed propter
Dei ordinationem.

Huc refer regulas:

1. Christus assumpsit ueram carnem sine
peccato, factus nobis similis omnibus
proprietatibus & infirmitatibus.
2. Propter personalem unionem duarum
naturarum, multæ sunt prærogatiuæ &
proprietaes in Christo, quæ sunt alienæ

E

à no.

ENARRATIO SYM

à nostris corporibus. Sic Christus ambulat super fluctus maris, clausis ianuis stat in medio Apostolorum &c.

Eleganter autem dixit Ambrosius: Quando Scriptura disertè aliquid de corpore Christi prædicat & affirmat, non debemus ordinem naturæ quærere in illo corpore, quod propter naturam à Spiritu sancto conceptum, ex uirgine natum est. Et Hugo inquit: Cum quid miraris, & dixerit tibi fortè cogitatio tua, quomodo hoc esse possit, cogita facientem & desinit esse mirabile, uel saltem incredibile non erit. etsi factor omnipotens cogitetur, non erit impossibile quicquid erit. Ac memorabilis uox est Chrysostomi: Credamus ubiq; Deo, nec repugnemus ei, etiamsi sensui & cogitationi nostræ absurdum esse uideatur. Quod dicit: Super & sensum & rationem nostrã quæ sunt, Ipsius quod in omnibus & præcipuè in mysterijs facimus, non illa quæ ante nos iacent solummodo aspicientes, Sed uerba eius quoq; tenentes. Nam uerbis eius defraudari non possumus, sensus uerò noster deceptu facillimus, illa falsa esse non possunt, hic sæpius atque sæpius fallitur. Quoniam ergo ille dixit, hoc est corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, sed credamus, & oculis intellectus id perspiciamus.

Vbi

BOLI APOSTOLICI

Vbi est hoc cœlum in quod Filius Dei corpus suū transtulit?

Augustinus ad hanc questionem respondet
in libro de Fide & Symbolo, his uerbis: Vbi
& quomodo sit in cœlo corpus Dominicum,
curiosissimum & superuacaneum est quærere,
tantummodo in cœlo esse credendum est. Non
enim est fragilitatis nostræ cœlorum secreta
discutere, sed est nostræ fidei de Domini cor-
poris dignitate sublimia & honesta cogitare.
Sic & Lutherus inquit: Nec de cœlo in quo
Deus & Angeli habitant cum beatis, nec de alijs
que in nouissimo die, cum alia carne induti
erimus, reuelabuntur, nunc aliquid certò dice-
re possumus. Sic & Paulus translatus in tertium
cœlum, ubi gustum uitæ æternæ percepit
cælesti luce & doctrina perfusus, ignorare se
asserit, Vtrum illa beatitudo cælestis sibi in
corpore existenti, an uerò extra corpus con-
tigerit.

Qui sunt fructus & beneficia as- censionis Domini in cœlum?

Primum summum & proprium Triumpha-
toris est beneficium, quod per suam ascensio-
nem

E 2 nem

ENARRATIO SYM²

nem declaratus & constitutus est à Deo Patre uictor peccati, mortis & Satanae, omnia subijciens pedibus eius, ut dicitur: Sede à dextris meis, donec ponam inimicos scabellum pedum tuorum. Vide testimonia Psal. 2. 110. Acto. 2. Ephes. 1. Roma. 1. Philip. 2. 1. Pet. 3.

Secundum beneficium est ipsa liberatio Ecclesiae ex captiuitate Diaboli, totiusq; regni Inferorum, quam à se confectam esse demonstrat, Captiuam ducens captiuitatem. Zacha. 9. scriptum est: Eduxisti uinctos ex lacu. Osee 9. De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos.

Tertium. Ascendit, ut det dona hominibus, etiam rebellibus, Psal. 68. Hoc beneficium Petrus Acto. 2. ad effusionem & charismata Spiritus sancti accommodat, Christum exaltatum sedere ad dexteram Patris, ut effundat in credentes Euangelio Spiritum sanctum &c. Hoc donum omnia munera superat, quòd Deus nos suae naturae participes reddit.

Quartum, Ascendit ut det dona hominibus, id est, Vt Paulus interpretatur. Ephes. 4. Mitat Apostolos, Euangelistas, Pastores, Doctores ad instaurationem Sanctorum in opus ministerij

BOLI APOSTOLICI.

sterij. Per Christi igitur ascensionem habemus ministerium & sacramentorum dona, per quæ media Spiritus Sanctus efficax est in Ecclesia.

Quinto, Ascendit ut mediatoris & intercessoris proprio officio fungatur in uero suo templo & sancto sanctorum, intercedat pro Ecclesia apud æternum Patrem & sit noster patronus & aduocatus, Rom. 8. Christus resuscitatus sedet ad dexteram Patris ut interpellet pro nobis. Hebræ. 4. Habentem pontificem magnum qui penetrauit coelos Iesum filium Dei, Heb. 9.

Sexto defensio Ecclesiæ, Sedet ad dextram patris ut statuamus ipsum ubiq; præsentem adesse, inspicere corda, nostri habere curam, patrem esse Orphanorum, & iudicem uiduarum, ac dominare in medio inimicorum suorum Psal. 68. 110. Matth. 28.

Septimo, ut deposito studio rerum terrenarum coelestem patriam quæramus Matth: 6. Colos. 3.

Octauo, uita æterna, cuius aditum nobis suo ascensu patefecit Dominus, ut expectemus alterius uitæ consuetudinem, ubi nostra corpora ad immortalẽ uitam ex puluere suscitata, in coelos euecta, æterna uita & gloria ornabuntur. Ioh.

ENARRATIO SYM

14. In domo Patris mei sunt multe mansiones,
Vado parare uobis locum &c. Sicut autem nu-
bes Dominum abduxit: Ita pij feremur in oca-
cursum Domino in nubibus ut Paulus inquit 1.
Tessal. 4.

Huc refer grauisimum dictum Tertulliani:
Sedet inquit Iesus ad dexteram Patris etsi De-
us, Homo nouissimus etsi sermo primarius, caro
& sanguis etsi nostris puriora: Idem tamen &
substantia & forma qua ascendit, talis etiam
descensurus ut Angeli affirmant. Hic Christus
sequester Dei & hominum appellatus ex utrius-
usq; partis deposito commisso sibi, carnis quoq;
depositum seruat in semetipso, arrabonem sum-
mae totius. Quemadmodum enim nobis arrabonem
nem Spiritus reliquit: Ita & a nobis arrabonem
carnis accipit, & uexit in caelum, pignus to-
tius summae illuc quandoq; redigendae. Securi
estote caro & sanguis, usurpatis & caelum &
regnum Dei in Christo. Aut si negent uos in
Christo, negent & in caelo Christum, qui uobis
caelum negauerunt.

Quare Christus tanta pompa uisibilis-
ter in caelum ascendere uol-
luit?

Propter nos facta est tantis miraculis haec
Christi

BOLI APOSTOLICI.

Christi ascensio, Ipse enim aliàs uerè fuit statim in cœlo post resurrectionem.

1. Ut ostenderet quale sit ipsius regnū non terrenū aut politicum huius uitæ corporalis, sed spirituale & eternū Christo sedente ad dexterā eterni Patris. Somniabant Apostoli iam tum Christo ascendente in cœlum Messiam habiturum potens et gloriosum regnum corporale in hac uita, in quo filij Abrahæ dominaturi essent. Cum uero uident ascendentem in cœlos certo statuere coguntur ipsius regnum fore spirituale in quo remissionem peccatorum, donatio Spiritus sancti & uitæ eternæ detur credentibus.

2. Potentiam suam declarare uoluit uisibili spectaculo, maiestatem, exaltationem & glorificationem, sibi nunc datam esse potestatem in cœlo & terra, qui omnia suis bonis repleturus sit, & ubiq; dominaturus, Ephes: 4. Matth: ultimo.

3. Voluit & illud euidenter demonstrare, se non esse spectrum aut Diaboli ludibrium, sed uerum suum Dominum & Magistrum qui multis argumentis imbecillitati fidei eorum consulere cupit.

4. Ut testimonium habeat Ecclesia ubi sit & quò uenerit Messias, ubi quærendus sit, nimis

ENARRATIO SYM

rum eum esse in caelis & consedis ad dexte-
ram Patris, ut & nos ibi eum compellemus,
Vbi est Sacerdos & Pontifex interpellans pro
nobis assidue Hebræ. 5.

5. Ut Apostoli & Ecclesia sciat unde & quo-
modo denuo rediturus sit Christus, ut se osten-
dat generi humano iudex uiuorum & mortuo-
rum, de quo Angeli uaticinantur.

6. Ut fides hinc nostra muniatur, restare ali-
am uitam ad quam conditi sumus. Sicut enim
Enoch in primo mundi millenario uiuus è ter-
ris sublatus est in caelum. Helias quoq; tertio
millenario elapso curru igneo ad caelos euectus
est, ut uitæ æternæ certitudo innotesceret gene-
ri humano: Ita Christi triumphum ascenden-
tis in caelum, elapsis iam quatuor millibus an-
norum perpetuam testificationem esse uoluit
Deus restare uniuersalem resurrectionem, o-
mniumq; hominum iudicium & uitam æternam.

7. Ut ostendat qualia nostra corpora glori-
ficata in resurrectione futura sint, ubi Angelis
similes assumpta immortalitate, sicut Sol et stel-
lae firmamenti fulgebimus.

Quare Apostolus Coloss: 2. ex 68.
Psalmo Christi ascensionem
Triumpho confert?

Dulcis

BOLI APOSTOLICI.

Dulcis est collatio si rectè consideretur. Romani duces parta uictoria in urbem inuehi solebant, rebus omnibus benè gestis, sedentes in aureo curru, & sella eburnea, quam quatuor candidi equi trahebant. Ante currum ducebantur & ostendebantur deuicti hostes, & captiui Reges, gestabantur ante currum in sublimi Tabulæ in quibus picta erant prælia, expugnationes urbium, & aliæ res bello gestæ. Currum sequebantur milites, per quos uictoria parta erat. Hic præmia distribuebantur sotiria & congiaria, imperator, uictor coronatus frondibus lauri, uel folijs ficuum ducebantur in Capitolium, ubi ante aram Iouis Optimi Maximi procumbens gratias agebat Ioui, quòd Romanis eam uictoriam tribuisset, & facto sacrificio ibat in curiam &c. Eadem prorsus ratione Christus uictor mortis & Diaboli, currui triumphali insidens, inuehitur in cælum, coram magno agmine Ecclesiæ eius temporis, inter plausus millies millium Angelorum, & ductis hostibus captiuis, toto regno Inferorum ante currum Triumphalem, effundit assidue largissima dona Spiritus sancti, & salutis æternæ, ut nos perueniamus in unitatem fidei & agnitionis Filij Dei, Coloss. 2. Ephe. 4.

E s Quis

ENARRATIO SYM

Quis est septimus fidei Ar-
ticulus ?

Inde uenturus est iudicare
uiuos & mortuos. Id est, Credimus
Dominum nostrum Iesum Christum glorioso
aduentu conspicuum omni carni uenturum in
extremo die, ut omnes pios asserat, & omnes
impios perdat, iuxta illud: Reuelabitur Domi-
nus noster de caelo, cum Angelis potentiae suae,
cum incendio flammæ, & infliget ultionem ijs,
qui non nouerunt Deum. Rursus idem Iudex
iustus, reddet coronam iusticiæ, omnibus qui
diligunt aduentum eius. Ita hoc Articulo con-
fitemur nos expectare finem seculi, liberatio-
nem, refrigerium & præmium uitæ æternæ,
ubi Impij in æternas pœnas gehennæ abiicien-
tur. De hoc articulo Symbolum Athanasij ita
canit: Ascendit ad caelos, sedet ad dexteram
Dei Patris omnipotentis, inde uenturus est iu-
dicare uiuos & mortuos. Ad cuius aduentum om-
nes homines resurgere habent cum corporibus
suis. Et reddituri de factis proprijs rationem, &
qui bona egerunt, ibunt in uitam æternam, qui
uerò mala, in ignem æternum.

Quo

BOLI APOSTOLICE

Quotuplex est aduentus Do- mini ?

Est quadruplex: I. Est incarnationis, uer-
bum enim ipse Filius Dei, iuxta æditam pro-
missionem in plenitudine temporis, propter nos
homines, & propter nostram salutem, descen-
dit in infimas partes terræ, id est, Verbum ca-
ro factum est. II. Est Humiliationis, seu ad
supplicium & λύτρον persoluendum, pro rea-
demptione generis humani. III. Est spiritua-
lis seu mysterij, ubi in spiritu per uocem Eu-
angelij in corda nostra uenit λόγος per fidem,
& Spiritum sanctum suum in nos effundit, ut
nos regeneret, sanctificet & uiuificet &c.

IIII. Est exaltationis siue glorificationis,
de cuius tempore nemo scit, ne angeli quidem
cœlorum, Filius enim hominis cum gloria &
magna maiestate ad iudicium extremum ueniet,
ubi omnes nos coràm tribunali Christi manife-
stari oportet. De hoc postremo aduentu hic Ara-
ticulus fidei loquitur.

Dic testimonia de hoc Ar- ticulo:

Sæpè & prolixè Prophætæ, Christus &
Apostoli

ENARRATIO SYM

Apostoli hunc fidei nostræ articulum repetunt
& inculcant, ut securitatem maximæ partis
hominum deridentis iram & iudicium Dei resus-
tent, ac spem uitæ, ac liberationis in pijs ex-
citent. Quam multi sunt omnibus seculis Epicu-
ræi derisores religionum, qui ut Petrus ait, 2.
Cap. 3. iuxta proprias concupiscentiasambu-
lant & dicunt, ubi est pollicitatio aduentus
eius? Quod autem in Ecclesia primorum Pa-
trum, & deinceps hic articulus perspicuè tra-
ditus sit, ex Prophetia Enoch est manifestum,
quam allegat Iudas: Ecce uenit Dominus cum
sanctis millibus suis, ut faciat iudicium de omni-
bus, & arguat omnes impios de omnibus ope-
ribus impietatis eorum. Sic in prima concio-
ne ad Cain interfecto Abele: Peccatum tuum
quiescet, perspicuè significatur omnia homi-
num peccata in iudicio extremo reuelan-
da esse. Similia sunt testimonia passim Esaiæ 13:
Scriptum est: Ecce dies Domini uenit, crudelis
& indignationis plenus, & iræ furorisq; ad-
ponendam terram in solitudinem, & peccato-
res eius conterendos de ea, quoniam stellæ cæli
& splendor earum, non expandent lumen su-
um &c. Esaiæ 65. Ecce ego creo cælos no-
uos & terram nouam, & non erunt in memo-
ria priora &c. Ieremiæ 30. Ecce turbo Do-
mini

BOLI APOSTOLICI.

mini furor egrediens. Procella ruens in capite impiorum conquiescet. Non auertet iram Dominus indignationis, donec faciat & compleat cogitationem cordis sui, in nouissimo dierum intelligetis ea. Psalm. 95. scriptum est: Venit iudicare terram, iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in ueritate sua. Huc refer similia dicta & uisiones, quæ extant in Daniele cap. 2. 7. & 12. In Iohelle cap. 3. dicitur. Prope est dies Domini, in ualle concisionis. Sol & Luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum. Et Dominus de Sion rugiet, & de Ierusalem dabit uocem suam, & mouebuntur cœli & terra, & Dominus spes populi sui, & fortitudo filiorum Israël. Sic & Salomon Ecclesiasten suum his uerbis Regulam uitæ tradens concludit: Deum time, & mandata eius obserua, hoc est præcipuum omnibus hominibus, cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium etiam occulta, siue bona sint seu mala: ac totus liber Sapientiæ est concio de iudicio Dei, & præmijs piorum, & æternis impiorum pœnis.

Sunt & in nouo Testamento longè plura & maxime perspicua quæ de extremo iudicio certissimè secuturo pulcherrimè uaticinantur. Matth. 16. scriptum est: Filius hominis uenturus

RHS

ENARRATIO SYM

*rus in gloria Patris sui cum angelis, suis & tunc
 reddet unicuique secundum opera eius. Matth.
 29. Amen dico uobis quod uos qui secuti estis me
 in regeneratione cum sederit filius hominis in
 sede maiestatis suae, sedebitis & uos super sedes
 duodecim iudicantes 12. tribus Israel. Similes
 loci extant in Matthæo cap. 24. 25. Luce 21.
 Iohan. 5 Actorum 1. 1. Corinth: 17. Rom. 12.
 24. 1. Corinth. 4. 2. Corinth. 5. 1. Tessal. 4. &
 5. 1. Petri 4. 2. Petri 3. In Apoca. cap. 11. 14.
 19. & 20. His omnibus confirmetur fides nos-
 tra de reditu Christi in nubibus. Sunt & alia
 argumenta extremi iudicij, ipsa scilicet iusticia
 æterna quæ omnibus hominibus insita est, ut im-
 pijs male & pijs bene sit. Cum enim in hac uita
 Ecclesia Christi cruci subiecta sit, & impij
 nunc uelut cedri Libani floreat, aliud iudi-
 cium, aliamque uitam restare necesse est, ubi pij
 suae uirtutis præmia accipient, & impij hic
 florentes poenas luent. Deinde tota creatura
 de extremo iudicio concionatur, quæ hoc fine
 condita est, ut pijs tantum & filiis Dei seruiat
 Roma. 8. 2. Petri 3. Homicidas etiam & facinos-
 rosos sua ipsorum conscientia excruiat, accus-
 sat & damnat, qui cruciatus Deum uindicem
 scelerum & secutorum iudicium testantur. Ne-
 cesse est legem Dei etiam à nobis impleri quibus
 data*

BOLI APOSTOLICI.

data est, quæ obligat uel ad obedientiam uel ad
pœnam. Cum igitur nemo in hac uita impleat
legem Iohan. 7. Necessè est restare aliam uitam
ubi legem implebimus, & in uniuersali iudicio
legis executio fiet, quæ frustra promulgata
non est. An non & cætera omnia quæ à sanctis
Patribus & Prophetis instinctu Spiritus sancti
prædicta sunt de aduentu Christi, de serie 4.
Monarchiarum & aliorum in mundo regno-
rum, de signis, confusionibus & ærumnis huius
postremæ ætatis, prædicta sunt, euenerunt?
Quare dubium non est quin & reliqua quæ de
extremo iudicio, uita & gloria æterna piorū,
diuinitus pronuntiata sunt, certissimè uentura
esse.

Quid erit iudicium extremum?

Est actus uniuersalis & publicus à Deo ipso
institutus in quo Christus uerus Iudex ac κατὰ
δίκην sententia definitiua omnes iustos,
qui fide Christi iusticiam induerunt, & fidem
ueram per opera dilectionis declararunt, ætera
na uita, læticia & gloria cumulabuntur, impi-
os & hypocritas nunquam desituris supplicijs
afficiet.

Quis est futurus iudex?

Ipsè

ENARRATIO SYM

Ipse filius Dei Dominus noster Iesus Christus pro nobis Crucifixus & resuscitatus qui in forma serui seu natura humana à se assumpta, omnibus hominibus pijs & impijs in iudicio apparebit, Ipse enim est constitutus iudex uiuorum & mortuorum, ut Iohan. 5. dicitur Pater non iudicat quemquam, sed iudicium omne dedit filio & c. uide similia testimonia. Matth. 24. 25. Philip. 2. Acto. 1. 10. 17. Apo. 1.

Quomodo uenturus est Christus?

Veniet singulari maiestate, splendore, potentia & gloria in nubibus caeli. Danielis 7. Matth. 24. Luce 21. Stipatus agminibus Sanctorum Angelorum Matth. 16. precedente ante eum igne. Psal. 96. quo caelum & terra comburentur. 2. Petri 2. id est, non redigetur in nihilum, sed immutabitur, ut eadem materia antea obnoxia quæ fuit corruptioni, igne uelut aurum purgata renouetur, ut decreto diuino sit æterna sedes Ecclesie celestis.

Qui erunt Christi Assessores?

Apostoli & sancti iudicabunt simul duodecim tribus Israël, sedentes in Thronis, id est totum genus humanum iuxta normam doctrine
Euange

BOLI APOSTOLICI.

Euangelij Matth. 19. 1. Corinth. 6. pij enim ab ira Dei, peccato & æterna condemnatione in hac uita per fidem liberati & absoluti non ueniunt in iudicium seu non condemnantur. Rom. 5. Iohan. 8. Sed per mortem ingrediuntur gloriam gloriæ, & Impios iudicant.

Qui iudicabuntur?

Paulus respondet 2. Corinth. 5. Omnes pios & impios oportet manifestari coram tribunali Christi, ut reportet unusquisq; iuxta id quod in corpore egit, siue bonum siue malum. Omnes homines, Christus omnipotentia diuina, quocunq; genere mortis obierint sine ulla $\pi\rho\sigma\omega\pi\omicron\lambda\eta\psi\iota\alpha$ reuocabit in uitam, nec uerò mortuos tantum, sed & multos quos in aduentu suo uiuos Filius Dei depræhendet, subito immutatos ut sint immortales, iudicabit, 1. Corinth. 15. 1. Thessal. 4. Sicut hîc in Symbolo dicimus: Inde uenturus est iudicare uiuos & mortuos.

Quæ erit forma Iudicij?

Processum seu formam describit Daniel cap. 7. Christus ipse Matth. 25. & Apocal. 20. Sedente enim in throno maiestatis suæ iustissimo iudice sistentur coram eo per Angelos omnes homi-

F nes

ENARRATIO SYM

nes & proferentur libri uitæ, actionum seu cogitationum & conscientiarum, ut occulta cordium reuelentur in die illa, & reddat ipse unius cuiq; secundum opera sua Rom. 2.

Quæ erit norma Iudicij?

Regula Iudicij scripta est in libro uitæ, id est, reuelata est in Euangelio sententia definitiua, quæ ad omnes homines pertinet: Omnis qui credit in Filium habet uitam æternam, qui autem non credit Filio non uidebit uitam, sed ira Dei manet super eum. Scripti igitur in libro uitæ, id est, Baptisati & credentes sunt benedicti Patris, id est, per Christum à maledictione legis liberati, uitæ æternæ bona consequuntur. Maledicti uerò, id est, non scripti in libro uitæ, in ignem æternum abijciuntur.

Quid sentis de tempore Iudicij?

Etsi de die & hora seu momento & articulo temporis, quando Filius Dei uenturus sit nihil homini reuelatum sit ut deposita securitate uigilemus & ad sponsum excipiendum parati simus: Tamen spacium propinquum fini notum esse uoluit Deus, ut ipsum timeamus. Daniel cap. 7. collabente quarta Monarchia non futuram esse quintam & uenturum Christum iudicem

BOLI APOSTOLICI.

dicem uiuorum & mortuorum, ubi iam quartæ monarchiæ potentia erit fracta. Ezech. Cap. 38. & 39. ac Apocal. cap. 20. uaticinantur Gog. & Magog. id est, Turcam & Muschouitas exorituros ante extremum iudicium. Helias predixit totum tempus mundi congruens ad dies creationis, id Iræneo teste lib. 5. fore sex millia annorum. Hæ Prophetiæ sunt impletæ, & sextus millesimus non implebitur propter peccata nostra, quæ multa sunt. Ergo à fine non procul absumus. Paulus 2. Thessa. 2. ponit tria signa, quæ nouissimum diem præcessura sint, quæ nunc euenierunt. Huc referantur omnia prodigia & signa extremi diei, nec non coniecturæ uerisimiles ut hinc statuamus, hunc mundum non fore æternum, & uenturum liberatorem, qui nostris malis & ærumnis finem impositurus sit.

Quis erit locus iudicij?

Christus respondet de hac questione Discipulis Lucae 17. Vbi cadauer, ibi & aquilæ congregabuntur, id est, Pij erunt unà cum Christo pro nobis crucifixo & resuscitato. Nonnulli dictum Iohelis cap. 3. Consurgant & ascendant omnes gentes in ualle Iosophat, intelligunt de loco extremi iudicij, quod uallis Iosophat

ENARRATIO SYM

Iosophat sit futura locus iudicij. Etsi expresse dicat scriptura, quod Christus in nubibus coeli uenturus sit ad iudicium, & de certa parte orbis terræ ubi primum conspicietur Dominus nihil scriptum sit: Tamen hæc coniectura non inconcinna est eorum, qui ad montem Oliueti ex quo ascendit in coelum, rursus eum appariturum existimant, cui uallis Iosophat ad Orientalem plagam urbis Ierosolymæ contigua est.

DE TERTIA PARTE Symboli Apostolici.

Quid profitemur in tertia parte Symboli?

Credimus omnes fideles per Spiritum sanctum purgari, regenerari, sanctificari, et illuminari, ut sint membra ueræ Ecclesiæ Dei, fruantur omnibus bonis Christi sanguine partis, & statuunt sibi per Christum peccata remitti, & sperent resurrectionem carnis & uitam æternam.

Cur hæc pars Symboli à sanctificatione nomen habet?

Quia

BOLI APOSTOLICI.

Quia Spiritus sancti proprium est officium, efficacem esse in credentibus, eaq; nobis applicare, quæ Pater æternus generi humano per Filium promisit, & Filius Dei incarnatus integra sua obedientia nobis peperit. Hæc actio uiuificationis tribuitur Spiritui sancto, sed tali ratione, ne hinc excludatur Pater & Filius. Fit enim sanctificatio hoc modo: Filius Dei λόγος foras concionatur per Verbum in ministerio, & cum uerbo intus adest in corde, ostendens Patrem, & effundens Spiritum sanctum letificantem & uiuificantem corda. Per Spiritum sanctum simul adsunt Pater & Filius, & hoc modo Deus in cordibus est efficax, faciens nos templa & mansiones diuinas, letificans & renouans naturam, & protegens eam aduersus Diabolum &c. Hæc actio Dei qua nihil salutarius & admirabilius cogitari potest, sanctificatio dicitur. Hinc Paulus Roma. 1. nominat Spiritum sanctificantem, & Patres in Symbolo Nyceno exemplo Apostolico Spiritui sancto sanctificationem & uiuificationem tribuunt.

Quid est Sanctificatio?

Sanctificatio siue inhabitatio est communicatio Dei cum renatis, qua Filius Dei uerè adest

F 3

credens

ENARRATIO SYM

credentibus, & effundit Spiritum sanctum, ut sit pignus gratiae, per quem Pater & Filius in renatis, tanquam in templo suo habitat, & Spiritu sancto confirmat corda, & seruat consolationem fidei, dicens testimonium in corde, nos esse filios Dei, & simul novas uirtutes, ueram & ardentem inuocationem, dilectionem, & alios fructus iusticiae excitat, ut sit conformitas inchoata omnium uirium in renatis cum Deo, qua instauratur imago Dei, & corda uiuificantur, reguntur noua luce & uita, ut uera obedientia, quae cum imperfecta sit propter Christum placet, Deum honore afficiat.

Quæ sunt media huius Sanctificationis?

Causa efficiens inhabitationis siue renouationis in hac natura est ipse Filius Dei sese communicans renatis & donans Spiritum sanctum qui in credentibus operatur & nouitatem Spiritus efficit scribens legem Dei in corda nostra id est, renouans in renatis imaginem Dei, ut non solum externa legis opera & officia honestæ disciplinae præstemus, sed etiam in corde inchoetur noua obedientia cum læticia quadam acquiescente in Deo. Hoc opus perficitur per quatuor media.

i. Per

BOLI APOSTOLICI.

1. Per Spiritum sanctum. 2. per uerbum Dei.
3. per Sacramenta. 4. per Fidem.

De Spiritu sancto Iohannes expresse dicit,
1. cap. 3. & 4. In hoc scimus quod Deus manet in
nobis, & nos in ipso, quia de Spiritu suo dedit
nobis. De uerbo Petrus inquit in 2. Petri 1. per
promissionem Euangelij & agnitionem Christi
efficimur participes diuinæ naturæ. Item Chris-
tus inquit: Iohan. 14. Qui me diligit sermones
meos seruat, & Pater meus diligit eum, et uenie-
mus ad eum & mansionē apud eum faciemus. Ac
memorable est dictum Athanasij. Vbicunq; di-
citur in homine esse Spiritus sanctus ibi est per
uerbum. Et uerbo uocali semper adest Filius
Dei λόγος & illuminans & docens corda per
uerbum, Ideo Euangelium dicitur potentia Dei.
Et ministerium Euangelij, ministerium Spiritus
appellatur, quia Spiritus sanctus unā cum Filio
Dei per id adest & efficax est.

De Baptismo Paulus inquit Titum 3. Quod
sit lauacrum regenerationis ac renouationis
per Spiritum sanctum qui abundē effunditur.

De Cœna dicitur 1. Corinth 10. panem quem
frangimus nonne nobis est communicatio cor-
poris Christi? Item Iohan. 15. manete in me &

ENARRATIO SY M^a

ego in uobis. De fide inquit Paulus 2. Corinth.
3. Probate uos metipsos an sitis in fide, & an
Christus in uobis sit. Item Ephe. 3. ardentibus
uotis Deum oro, flectens genua mea, ut Chris-
tus per fidem habitet in cordibus uestris.

Quæ sunt notæ & Sigilla sancti- ficationis?

Inuisibilia sunt beneficia promissa in Eu-
angelio, quæ non incurrunt in nostros sensus,
sed tamen sunt certa, uera, uiuificantia hanc
miseram naturam, iuxta dictum: Verba mea
Spiritus & uita sunt. Item: Euangelium est
potentia Dei ad salutem credenti. Item: Fides
est rerum non apparentium. Necesse est igitur
pios conscientie causa tenere certa si-
gna, quæ mentes nostras luctantes de præsen-
tia & in habitatione Dei conuincant. Est au-
tem certissimum sigillum sanctificationis siue
præsentie Dei ipse Spiritus sanctus, accendens
nouam lucem de Deo in corde, & dicens testi-
monium gratie in conuersione & inuocatione.
Hinc Paulus Spiritum sanctum uocat Arrabo-
nem, id est, pignus nostræ hæreditatis, quo cor-
da à Deo obsignantur. Alterum τεκμήριον
est uerbum Dei & Sacramenta in publico mi-
nisterio,

ENARRATIO SYM

nisterio, de quibus dictum extat: Qui ex Deo est, uerbum Dei audit. Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, habet uitam eternam: Item: Si manseritis in sermone meo, manebo in uobis &c.

Quis est finis inhabitationis siue illius regenerationis?

Duplex est finis sanctificationis. Alter est uera agnitio & confessio Christi, quem exprimit Apostolus 2. Corinth. 3. Porro ubi Spiritus Domini, ibi libertas, nos autem omnes relecta facie, gloriam Domini in speculo representantes, ad eandem imaginem transformamur à gloria in gloriam, tanquam à Domini spiritu: Sententia hæc est: Qui per Christum sunt liberati à maledictione Legis, & Euangelij uocem fide amplectuntur, hi refinguntur, ut in ipsis similis noua lux seu uera agnitio Dei accendatur, crescente in ipsis per lucem Spiritus sancti, subinde noua luce, iusticia & uita. Alter finis siue effectus est uera consolatio fidei in corde, id est, certitudo de gratia & reconciliatione coram Deo, sicut inquit Paulus: Diffusa est charitas in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui testimonium tribuit nostro spiritui, quòd filij Dei simus, Rom. 5. & 8. id est,

BOLI APOSTOLICI.

est, Spiritus sanctus tribuit in corde testimoni-
um, quòd DEVS nos propter Filium diligit.
Hæc de sanctificatione rectè tenere utile est.

Estne homo iustus coram Deo
propter hanc sanctifi-
cationem ?

OSIANDER hæc duo confundit, Gratiam
et Donum, id est, clamat cum Pontificijs
ipsam nouitatem seu Deum inhabitantem et
et sanctificantem esse iusticiam personæ. Hæc
imaginatio Papistica prorsus falsa est. I. Ex
Lege nemo iustificatur, Sanctificatio quæ fit in
hac infirma natura, fit ex Lege, ut dicitur Ro-
ma. 3. Lex stabilitur per fidem, cum sit incho-
atio obedientiæ congruentis cum Lege. Ergo
non est iusticia personæ coram Deo, de qua
Euangelium docet. II. Deinde sanctificatio
siue renouatio in hac uita, etiam in Sanctis est
imperfecta, ut dicitur in Esaia 24: Omnes ius-
ticia nostræ sunt uelut pannus menstruatus.
Ergo manet regula immota: Non erit in cons-
pectu tuo iustus omnis uiuens. III. Proprius
honor et unicum est beneficium Christi Me-
diatoris, quòd ipsius mors et obedientia sit ius-
ticia nostra. 1. Corinth. 1. iuxta illud: Chris-
tus est factus nobis iusticia: Item: Vnius obe-
dientia

dientia iusti constituuntur multi. Ergo Paulus iustus esse non potest dono Spiritus sancti inhabitantis, sed per Christi sanguinem placeamus DEO.

Estne hæc Sanctificatio necessaria?

Dona Spiritus sancti renatis sunt necessaria ut sint pignus hæreditatis nostræ, id est, Spiritus sanctus datur ut dicat testimoniũ in corde quod simus in gratia, & ut sanctificet & uiuificet hanc massã peccati, sicut docent dicta. Eph. 1. Cum credidistis uerbo ueritatis, obsignati estis Spiritu promissionis sancto, &c, Item 2. Corinth. 1. Deus unxit nos, in Christo Iesu, & obsignauit nos dans Arram Spiritus sancti in cordibus nostris. Item. Rom. 8. Qui Spiritu Dei ducuntur hi sunt Filij Dei.

Quid ex sanctificatione oritur?

Ipsa nouitas uitæ in iustificatis, id est, studium bonorum operum. Sicut autem ipsa Sanctificatio est necessaria: Ita & effectus uiuificationis, id est, bona opera, etsi non sint merita iusticiæ & uitæ æternæ. I. propter mandatum Dei II. propter Filium Dei, ne renati eius sanguine

ENARRATIO SYM⁹

guine cum contumelia afficiunt. III. propter Spiritum sanctum habitantem in renatis cui eos obedire oportet, Rom. 8. IIII. ut retineatur fides, Spiritus sanctus, inuocatio & bona conscientia, & in renatis crescat regnum Filij Dei V. Ut Deus glorificetur, & multi ad Euangelij cognitionem inuitentur, & ut scandala uitentur. VI. Ut renati uitent pœnas lapsuum. VII. Ut Sanctificati consequantur præmia in hac uita & post hanc uitam.

QVIS EST OCTAVVS FID⁹ dei articulus?

Credo in Spiritum Sanctum.

Rectè autem credimus in Spiritum sanctum sicut in Patrem & Filium, cum sit unus Deus cum Patre & Filio, qui ab æterno procedens, est amor et læticia Essentialis inter Patrem & Filium ac effusus in creaturas inuisibiles & uisibiles nos regeneratos cum Deo copulat, & fructus diuinæ salutis in nobis obsignat per ministerium Spiritus. Dicitur autem sanctus non tantum ratione personæ quod sit purus Deus sine omni peccato, fons & origo omnis boni. Sed respectu officij siue effectus id est, Sanctificationis
onis

BOLI APOSTOLICI.



onis nobiscum agit in Ecclesia per uerbum &
Sacramenta. Sicut enim Spiritus animalis cor-
pori uitam subministrat. Ita Spiritus sanctus ui-
uificat & sanctificat, ac effunditur ut renati et
repurgati sanctificentur, & diuinæ naturæ
consortes reddantur. Hæc gloria est solius diui-
ni Spiritus, quem uerum esse Deum hîc profite-
or, cum fidei cultus ipsi, qui tantum soli Deo
debetur, rectè tribuatur. De quo in Symbolo
Constantiensi

ENARRATIO SYM

Constantinopolitano ita canimus: Et in Spiritum sanctum uiuificantem, qui ex Patre Filioq; procedit, qui cum Patre & filio simul adoratur & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas in unam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam.

Vbi est efficax Spiritus sanctus?

In Ecclesia Catholica extra quam nulla est salus, id est, nulla sanctificatio Spiritus sancti quaerenda est, de qua dicimus in nono fidei Articulo: Credo sanctam Ecclesiam, sanctorum communionem, id est, credimus quod Filius Dei ad dexteram aeterni Patris regnans uoce Euangelij semper in mundo colligat & seruet Ecclesiam, id est, coetum amplectentem & sonantem incorruptam uocem Euangelij, quam conuocet, illuminauet, sanctificet & regat per Spiritum sanctum, ac seruet ad laetam mortuorum resurrectionem, ut cum ipso in aeternum uiuat, Esaiæ 59. Hoc est foedus meum cum eis, &c.

Rectè ne dicitur uulgo: Credo in sanctam Ecclesiam?

Error hic magnus est imperitorum, qui ex Symbolo Constantinopolitano malè intellecto origia

BOLI APOSTOLICI.

originem traxit, ubi clausula in unam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, non refertur ad uerbum credo, sed ad Spiritum sanctum, quod is omnia egerit in utroq; Testamento, ut refutarentur illi, qui olim finxerunt duos sibi quasi contrarios Spiritus. Hunc errorem etiam taxat Cyprianus in expositione Symboli ubi inquit inter cætera: IN præpositionis syllaba creator à creaturis secernitur, & diuina ab humanis separantur: Sic & Augustinus de fide & Symbolo legit credo sanctam Ecclesiam:

Quæ nomina tribuuntur Ecclesie?

Vera Ecclesia dicitur sancta et Catholica, sancta dicitur propter Christum & Spiritum sanctum, id est, imputatiue & inchoatiue. Christus enim fide sibi copulans credentes desponsatos sibi in iusticia & misericordia Osee 2. Abluit nos suo sanguine, & imputat nobis suam sanctitatem & iusticiam (1. Corinth. 1.) ac per Spiritum sanctum inchoat in nobis sanctitatem, quæ ex uera fide proficiscitur. Huc refer locum Ephes. 5. Christus dilexit Ecclesiam & tradidit semetipsum pro ea, ut illam sanctificaret, mundatam lauacro aquæ per uerbum ut adhiberet eum sibi
bipsi

ENARRATIO SYM

bijsi gloriosam, Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, &c.

Cur dicitur Catholica?

καθολικὸν significat generale siue uniuersale, inde Catholica Ecclesia dicitur uniuersalis societas, quòd per omnia loca ei tempora extendatur, Sancti enim omnes ita uniuntur, ut membra sint in uno corpore, quæ ab uno capite dependent. Quare tota uniuersitas piorum dicitur Ecclesia, quæ per uniuersum orbem terrarum, ex toto genere humano per uocem Euangelij colligitur & amplectitur uniuersalem & integram doctrinam, traditam per Prophetas & Apostolos, ac retinet consensum & unitatem in fundamento. Etsi in ritibus & Ceremonijs aliqua est dissimilitudo de Paschate, de fermento, de festis, de ieiunijs & alijs. Hæc uox opponenda est imaginationibus Iudæorum, Papiſtarum & Hæreticorum. Eadem dicitur Orthodoxa, à recta & uera sententia, fide & doctrina.

Quæ beneficia accipimus à Christo
sanctificata per Spiritum sanctū,
ubi sumus in Ecclesia Ca-
tholica.

Hæc

BOLI APOSTOLICI.

Hæc sunt amplissima & exhauriri non possunt, primum beneficium est Sanctorum communio, id est, communitas omnium bonorum spiritualium sine ulla *εξουσιοποιήσις*, à qua nemo sese excludere debet. De hac scriptum est Ephes. 4. Unum est corpus & unus Spiritus, unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus & Pater omnium, qui super omnes, & per omnia & in omnibus nobis. Hic articulus plurimum habet consolationis. Illud enim hic profitemur, quod inter nos & Deum sit communio, id est, societas & participatio, & per consequens omnium bonorum celestium communicatio, per sanguinem Christi parta: Deinde quod sit societas nobis cum omnibus sanctis, cum in cœlis tum in terris uiuentibus, cum membra simus unius corporis Iesu Christi, qui in hac societate sanctorum uiuunt, fruuntur omnibus Christi beneficijs ad uitam æternam, etsi in donis sit dissimilitudo, una tamen est omnium salus Dani. 12.1. Corinth. 15.

Quod est secundum beneficium?

Remissio peccatorum de qua dicimus decimo fidei articulo: Credo remissionem peccatorum, hæc in nullo alio cœtu datur quam in uera Ecclesia, id est, in societate Christi &

G

san

ENARRATIO SYM

sanctorum, est plenaria remissio omnium peccatorum.

Quid est remissio peccatorum?

Est ipsa iustificatio siue reconciliatio, qua donatur nobis à DEO iusticia gratis ex misericordia propter solam obedientiam Filij Mediatoris, quæ sola fide apprehenditur, cum qua coniuncta est donatio Spiritus sancti, qui corda regenerat noua luce & uita, Roma. 3. 4. Psal. 32. &c. Hæc remissio peccatorum siue iusticia Euangelij, quæ in Euangelio est patefacta non in Lege, offert nobis omnia bona cælestia gratis, immensa Dei bonitate per Filium, Actorum 10. quo thesauro nihil maius cogitari potest. Hic cum dicimus: Credo remissionem peccatorum, simul cogitemus de applicatione. Non enim credendum est, aliquibus tantum peccata remitti, te uerò excludi, sed statuere debes tibi quoq; peccata remitti. Promissio enim est uniuersalis de remissione peccatorum, & mandatum est æternum & immortum, ut omnes audiant Filium, credant Euangelio, & Christi beneficia fide sibi applicent.

Quod est tertium?

De hoc

BOLI APOSTOLICI.

De hoc dicimus in undecimo fidei Articulo :
Nos credere carnis resurrectionem, id est, credimus quòd corpora nostra, etsi in sepulchris putrescant & in puluerem redigantur, non sint mansura in perpetuo interitu, Sed sicut Christus resurrexit à mortuis : ita & nos resuscitaturus sit Redemptor in nouissimo die, ut carne nostra renouata & immortalis ad Patrem abducti, semper uiuamus cum Deo. Hoc beneficium intueamur assidue, etiam in ipso mortis articulo, quòd anima nostra deleta ad sinum Abrahæ corpore etiam nostro resurrecturi simus.

Quid significat hic caro ?

Proprie ipsum corpus humanum de terra sumptum, quòd homines hic uiuentes gerunt, in quo uiuunt & uersantur, quod moritur & in cinerem resoluitur, iuxta regulam : Puluis es & in puluerem reuerteris. Hæc uox multò significantius huius carnis nostræ resurrectionem, quàm si corpus diceremus exprimit. Ac notandum est quòd Cyprianus hunc Articulum ita fuisse pronunciatum : Credo huius carnis resurrectionem. Sic & Augustinus interpretatur de fide & Symbolo cap. 10. Hæc uisibilis quæ caro proprie dicitur sine ulla dubitatione

ENARRATIO SYM

one credenda est resurgere. Hanc uidetur Paulus Apostolus ceu digito suo ostendere cum ait: Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem. Huc refer Symbolum Iob: cap. 19. Scio quod Redemptor meus uiuit, &c.

Quod est ultimum & omnium maximum beneficium?

Vita æterna. De hoc munere dicit ultimus fidei articulus feliciter omnia concludens: ET VITAM AETERNAM, id est, credo quod natura humana non sit condita tantum ad hanc uitam corporalem & mortalem sicut pecudes, nec ad miseras perpetuas, sed omnes homines qui agnoscunt Iesum esse Christum, donabuntur uita, læticia & felicitate æterna, ita ut anima & corpore cum Deo uiuant iuxta illud Iohan. 10. Ego uitam æternam do eis. Item. Qui credit in Filium habet uitam æternam. Iohan. 15. Huius uite participes fiunt animæ simul atq; migrant à corporibus qui redibunt ad corpora in die Iudicij, ut totus homo redemptus sanguine Christi perfectus & plenus anima & corpore Dei conspectu fruatur, iuxta illud: Qui credit in Filium Dei in iudicium non uenit, Sed transibit à morte in uitam.

Quid


BOLI APOSTOLICI.

Quid est uita æterna?

Est regnum Dei Patris in quo ipse est omnia in omnibus id est conspectus & fruitio ipsius Dei summi boni, in quo omnes pii, qui ex hac uita in fide & uera inuocatione discesserunt resuscitati ex morte, cum sanctis Angelis & omnibus electis priora, id est, ipsum Deum coram uidebunt, sine ænigmate & caligine, & diuina luce, sapientia, iusticia & uita complebuntur sine lachrymis & curis læti uiuent, perpetuò & ineffabili gaudio Deum in omni æternitate celebrabunt. De hac dicit Apostolus ex Esaia: *Quæ oculus non uidit, & auris non audiuit & in cor hominis non ascenderunt, ea quæ preparauit Dominus diligentibus se.* Huc refert dictum Augustini, de uita æterna: *Tantum gaudebunt, quantum amabunt, tantum amabunt, quantum cognoscent. Cognoscent aut Deum immensa misericordia se ostendentem, & patefacientem sapientiam, iusticiam & nos profundentem sua sapientia, iusticia & felicitate.* Item: *Cum ex me queritur, quid acturi sint sancti in illo corpore spiritali, non dico quod iam uideo, sed quod credo: Dico itaq; quod uisuri sint Deum in ipso corpore &c.* Item: *illa actio uel quies atq; ocium quale futurum sit si uerum uelim dicere, nescio, pax enim Dei superat omnem intellectum. Tantum sit dictum de hac propositione.*


VVITEBERGÆ.
Excudebat Lauren
tius Schuuenck.


1566.



25420-7

X 2005465





B.I.G.

Farbkarte #13

ENARRATIO ⁴
 PIA ET VTILIS
 SYMBOLI APO-
 STOLICI, PROPOSITA
 SCHOLASTICIS IN COLLE-
 GIO THEOLOGICO
 Brandenburgensi,
 à
 IOHANNE GARCAEO
 IUNIORE.



VVITEBERGAE
 1566.

